



Disquisitio critica et historica de Clementis Romani priore ad Corinthios epistola

<https://hdl.handle.net/1874/313421>

DISQUISITIO CRITICA ET HISTORICA

DE

CLEMENTIS ROMANI

PRIORE AD CORINTHIOS EPISTOLA.

DISQUISITIO CRITICA ET HISTORICA

DE

CLEMENTIS ROMANI

PRIORE AD CORINTHIOS EPISTOLA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

ECCO EKKER,

Rheno-Trajectinus.

D. II M. JUNII ANNI MDCCCLIV, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLIV.

PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS
SACRUM.

зимой

зимой, зимой

PRAEFATIO.

Academiae spatiis decursis, disputatione conscribenda summos in Theologia consequi honores vehementer cupiebam, sed ejusmodi disputatione, in qua elaborans meis ipse prodessem studiis. Quod meditantem amplius Historiae Ecclesiasticae campus in primis me alliciebat, quoniam a pueris inde Historiae studia in deliciis habueram. Prima autem Ecclesiae Christianae fundatae tempora, quamquam multis historicarum dubitationum tenebris involuta, quo tamen et graviora sunt ad explorandum et ad fidem nostram firmandam digniora quae cognoscantur, eo magis animum meum ad se verterunt. Per nonnullos igitur menses disquisitionem dogmatico-historicam instituebam in Patres Apostolicos, qui, proxime post Apostolos veritatis fontes scripto mandati, summo sane loco sunt habendi. Sed a gravissimo hoc et pro juvenilibus viribus fortasse nimis amplo labore, in quo totus

occupatus eram, ecce, derepente Vir Clar. Hilgenfeld, Prof. Jenensis, me avocat, qui postremo suo opere edendo doctissimo effecit, ut mea opera, in illa re navata, supervacanea esset. Haud sane jucundum est juveni, qui in talibus studiis totus quasi vivit, extemplo ea dimittere! Quis igitur miretur, me nec a proposito prorsus desistere potuisse, et post universam rem accuratissime ab Hilgenfeldio elaboratam, partis cuiusdam accuratiorem disquisitionem neque inutilem et viribus meis magis accommodatam habuisse? Praeterea Patrum Apostolicorum unus ob authentiam a nemine fere in dubium vocatam dignissimus est, in quem, adhuc quippe non satis exploratum, denuo inquiratur. Hac igitur in re omnes animi vires mihi, vera Historia duce, adhibendas esse quum ipse statuissem, Vir Clar. Royaards hoc meum propositum probavit. Cujus cari praceptoris futuro auxilio fretus, novo ardore rem iterum aggrediebar. Sed ejus consiliis, eheu! vix inchoato opere, privabar. Et sic quidem totus mihi relictus, ardentissimo tamen studio in rem mihi propositam incubui. Quibus igitur vitiis meum opusculum laborat, quae vereor ne permulta sint, ea non socordiae inertiaeque, sed ririum tribuenda sunt parum his in rebus exercitatarum tenuitati et arctis juvenilis scientiae finibus. Sed eo majore etiam fiducia benevolentiae V.V. D.D. (si qui erunt, qui hoc meum opusculum attentione sua dignum habeant,) etiam atque etiam illud commendo; quorum recondita doctrina metironem admonitum quidem, nec tamen repudiatum iri confido, eodem quippe veri amore, quo illi flagrant, ductum.

Prius vero quam ipsam rem aggredior, dulci mihi officio defungendum.

Pro omnibus, quae vos, Carissimi Parentes, pro me et fecistis et nunc etiam facitis, gratiam referre, vestro in me amore dignam, id quidem tota mea postera vita poterit, Deo dicata, cuius me veneratione et amore a teneris imbuistis, poterunt vota mea pro vita et valetudine vestra; sed nulla verba de grato meo erga Vos animo, cuius affectus magis sentiri quam describi potest, id valebunt. Nolo igitur multus esse hoc loco; id tantum ex animo vovens, Deus O. M., quod vestrae vitae reliquum est, et ceteroquin felix faustumque reddat, et mea etiam vestrorum benefactorum memoria exhilaret! Vestrum semper mihi exemplum ob oculos sit meque ducat; quod si fiet, vera animi tranquillitate, quae ex Deo oritur, fruar.

Deinde Vos omnes, qui ad me erudiendum et docendum operam vestram contulistis, Aestumatissimi Praeceptores, pro curis et monitis vestris grates, quas exspectore fundo, accipite! Ante omnes hoc loco Royaard-sium nostrum appellare vellem, qui sapientibus suis consiliis mihi prodesse, quocumque modo poterat, semper voluit; sed eheu, e medio suo doctrinae curriculo illuminis maturis fatis eruptum Academia nostra, disciplinae, quas docere, illustrare, amplificare solebat, Christi ecclesia mecum lugent!

Tibi, Vir Clarissime Vinke, qui benevolentia tua me prosecutus es, pro auxilio consiliisque tuis, quae mihi numquam recusasti, gratiam habeo referoque.

Tibi vero, Aestumatissime Promotor, Vir Clarissime

Bouman, quomodo satis dignas grates agam pro juvenili illa et indefessa alacritate, qua, quamvis corpore saepe infirmus et aetate jam provectus, imperfectum meum et tenue opusculum corrigere voluisti? Deus O. M. corporis animique tui vires firmet, ut tua praecepta et consilia plurimis etiam in posterum prosint.

Tibi quoque, Honoratissime Opzoomer, publice hic gratiam meam refero pro veritatis illis effatis et philosophiae praeceptis, quae per triennium ex tuo ore percipere mihi licuit, quibus ad veritatem mihi unicam et regiam illam viam ostendisti. Diu etiam valetudo tua sustentetur, ut verae doctrinae saluti prodesse et Almae nostrae Matri ornamento esse pergas!

Hisce ominibus in lucem editum specimen studiorum meorum benevolos, precor, habeat lectores, et, si fieri possit, exiguum etiam lapillum ad exstruendum magnificentum verae Doctrinae templum conferat.

Valete, amici mei! Valete omnes, quibuscum in pulcherrimo illo templo versari et delectari mihi licuit; ne umquam obliscamur, fructus nobis in humana societate percipiendos in Almae nostrae Matris spatiis creuisse!

CONSPECTUS.

	Pag.
INTROITUS. ARGUMENTI MOMENTUM.	XIII.
CAPUT I. EPISTOLAE ARGUMENTUM.	1.
" II. DE OPPORTUNITATE SCRIBENDI EPISTOLAM SIVE DE LITIBUS CORINTHIACIS, EO TEMPORE AGITATIS.	22.
" III. V. ET N. FOEDERIS IN EP. USUS.	45.
" IV. DE INTEGRITATE EPISTOLAE.	69.
" V. EP. DOGMATICA INDOLES SIMPLICISSIMA.	75.
" VI. EP. SCRIPTAE TEMPUS.	93.
" VII. DE VIRO CUI EP. TRIBUITUR.	106.
" VIII. EP. AUTHENTIA.	122.

INTROITUS.

DISQUISITIONIS MOMENTUM.

Historiae Ecclesiasticae in primis initia cognoscere magni Christianorum interest, quia primorum saeculorum indagatio ad ipsum fontem, purum illum atque uberrimum, veritatis nos reducit, cuius nondum inquinatae erant aquae. Prima sane saecula, si quid video, historico non arridere non possunt. Iesu certe vitam ex fontibus ipsis inquirere cujusque theologi pensum est. Sed quid utilitatis ea disquisitio afferat, nisi item proxima iis tempora nobis nota sint? Quare me judice Apostolica aetas et quae eam proxime exceptit accuratissime exponatur oportet. Nam aqua quo propior ipsi fonti, eo purior esse solet. Atque primi Christi testes Euangelium magistri beneficium atque salutare optime tradiderunt; ex ipsius enim vel Apostolorum saltem ore id acceperant.

Quibus accedit, quod quae Apostolicam exceptit aetas

permagna dubia historica excitavit, de quibus nunc etiam sub judice lis est. Atque ejus explicatio proximis quidem hisce annis saepissime tentata est, sed ad plane contrarias sententias critici ad hunc usque diem tuendas abierunt¹⁾.

Ex dictis patet, primi post Christum saeculi iteratam inquisitionem historicam et criticam summi esse nostro tempore momenti. Ad quam indagationem animi quidem voluntate me ferri sentio; verum et vires mihi desunt, neque tempus eheu! sufficit. Quae tamen universa efficere nequeo atque aliis iisque magis eruditis persequenda commendo, eorum partem aliquam hocce in specimine tractanda suscepit.

Patrum Apostolicorum nomen habentia plura scripta supersunt, quamvis non integra; verum Critica historica iis non pepercit monumentis²⁾, quae pulcherrimum ejus temporis conspectum nobis praebent³⁾. Nam, ut, Apostolorum discipuli, inter hos et ecclesiae vulgo dictos *Patres* in historia intermedii stant Apostolici Patres, Apostolica eaque sancta simplicitate semet distinguentes. Quamvis autem praeclarum in Ecclesiae historia locum hi Patres teneant, tamen eorum scriptis, quibus tempus omnia destruens pepercit, non ita favit Critica, quin

1) Ne plures commemorem, h. l. citare sufficiat: Schwegler et Lechler, *das Nachapostolische Zeitalter*; Ritschl, *die Alt-katholische Kirche*; Rothe, *Anfänge der Kirche*; Baur, *die 3 ersten Jahrhunderten*.

2) Jam saeculo praecedente Tolandus omnium eorum authentiam negavit.

3) De qua re videatur omnino V. D. Möhlerus in *Patrologiae Tomi I* pag. 51, ubi sic: « In den äussert wenigen schriftlichen Ueberbleibseln dieser Zeit treten dennoch schon die verschiedenen Grundformen aller künftigen gelehrten Thätigkeit hervor etc. »

eorum plurima spuria vel saltem interpolata haberet. Quibus de rebus magnopere etiamnunc inter Viros Doctos disputatur in utramque partem, ut optime patet ex opere recentissimo de hoc argumento Hilgenfeldii: *Die Apostolischen Väter* etc. Sic igitur renovati studii utilitas facile nobis appareat, neque de disquisitionis historico-criticae, quae in iis versetur, momento quidquam addere opus est.

Si plurium Virorum Doctorum sequimur sententiam, constat, nullum ad nos venisse scriptum, quod primo post Christum saeculo certo certius tribuere possimus, praeter Clementis Romani epistolam ad Corinthios priorem. Quam totam rem inquirere neque opus est, neque hujus loci esset. Nam ex aliorum disquisitionibus accuratis proficere in litteris sane licet. Una enim cum scientiae progressu disquisitiones doctae debent mutari. In antecedentium humeris stare successorem oportet quavis in arte vel doctrina, si rite progressurus erit. Namque aedificium totum denuo construere non opus est, cuius tantum reparatio requiritur. Sic et nos ex aliorum conatibus fructus carpemus hac in disquisitione, neque acta jam iterum agemus, ne oleum et operam perdidisse videamur. — Quare brevissimum conspectum Patrum Apostolicorum, quem hocce in introitu dare cupio, ex eruditorum accuratis disputationibus petere mihi placet. Paucis verbis jam de his videamus.

Clementis Romani nomine, praeter priorem, de qua agimus, fertur altera epistola vel potius fragmentum, quod tamen ob styli diversitatem et doctrinae discrimen non authenticum habetur, sed potius homiliae ejusdam pars videtur esse. Jam Eusebius in *Historiae Ecclesiasticae*

siaisticae libri III cap. 38 alteram epistolam Clementi auctori abjudicat ¹⁾. Eodem quidem modo, quo prior in tergo Codicis Alexandrini nobis servata est, sed neque Patrum testimoniis commendatur neque ullo aetatis, cui tributa est, indicio. Ad unum igitur omnes interpretes eam ad posteriorem aetatem referunt, vid. Hilgenfeld l. 1. et Hefele in Editionis III Patrum Apostolicorum prolegomenis ad hanc epistolam.

Superest epistola, quae tribuebatur Apostolo Barnabae, quam vero propter interna in primis argumenta plurimi critici primo saeculo abjudicant, nec authenticam habent. Typica ejus indoles, impurus allegorisandi modus, obscura nonnumquam rerum expositio prima eaque pura christianismi tempora nobis etiam redolere non videntur. Nec dogmatum in ea est simplicitas, vid. omnino Hefele, *Das Sendschreiben des Apostels Barnabas aufs Neue untersucht, übersetzt und erklärt*, Tüb. 1840 ²⁾. Ejus authenticam plerique negant, eamque Theologiae Alexandrinae fructum habent ex initio saeculi secundi repetendum. Porro sub Ignatii nomine, episcopi Antiocheni et martyris, septem ad nos venerunt epistolae, quas vero spurias habent multi hodie interpretes ob hierarchicam earum indolem et gnosticismi in iis reperta vestigia ³⁾. Neque de Ignatianarum epp. Sy-

1) L. 1. sic legimus: "Ιστόν δ' ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολὴ. Οὐδὲ γὰρ καθαρὸν τῆς ἀποστολικῆς δρθεδοξίας ἀποσάζει τὴν χαρακτῆρα." Η μὲν οὖν Κλήμεντος δρμολογουμένη γραφὴ πρόδηλος, adjectit historicus ad ambas epp. distinguendas, quarum priorem solam authenticam habet.

2) Vidd. quoque ejusdem V. D. ad Patrum Apostolicorum ed. III prolegomena, Hilgenfeld l. 1. et Ritschl l. 1. pag. 243 et 274.

3) Vidd. Hilg. l. 1. pag. 268 seq., Baur, *die Ignatianischen Briefe*

riaca versione honorificentius multi statuunt: Reuteri *Repertorium* vid. Sept. 52. Quibuscum epp. arete cohaeret epistola Polycarpi, episcopi Smyrnensis, ad Philippenses, quae etiam multis ad saeculum secundum videtur pertinere, e. g. V. D. Hilgenfeld l. l. Sed ab aliis simplicem ob indolem et externa argumenta authentica habetur, vid. Lechler pag. 314 et Ritschl, qui l. l. inde a pag. 604 accurate et docte ejus causam egit. *Pastor superstes* est, qui Hermae, viro Apostolico, antea tribuebatur, hodie tamen vulgo Pii I papae fratri auctori tribuitur, in primis ob fragmentum Muratorianum. Minime autem simplicem primi saeculi indolem nec characterem Apostolicum prae se fert, sed Apocalypticae Judaicae valde similis est. In primis propter hierarchicam et dogmaticam ejus rationem et universe propter interna argumenta ejus authentia negatur; Judaismi in ecclesia typum nobis praebet. Ethicum quidem ejus consilium est, sed minime pure Christianum¹⁾. Est tandem Ep. ad Diognetum, tamquam ignoti cujusdam scriptoris Apostolici opus se praebens, quae in apologetico genere

und ihre neueste Kritiker, Tüb. 1848, polemica ratione quod scriptum est contra V. D. Bunsen opus, cuius titulus est: *Die 3 aechten und die 4 unaechten Briefe des Ignatius von Antiochién*, Hamb. 1847. Idem V. D. ad Neandrum scripsit: *Ignatius und seine Zeit*. Tum: Denzinger, über die Aechtheit des bisherigen Textes der Ignat. Briefe, Würzb. 1849 et Ullhorn in Niedneri: *Zeitschrift für historische Theologie* 1851, n. 1 et 2. Ritschl tandem l. l. pagg. 418 et 577.

1) Vidd. Hefele l. l. pag. LXXXI, Ritschl l. l. pag. 297, Hilgenfeld l. l. pag. 159 etc., qui hoc scriptum seculi secundi initio existisse putant. Ejus authentiam antea defenderant Gallandius, Lumperus, Möhlerus, et Jachmannus in opere: *Der Hirt des Hermas*, Kön. 1835.

ponenda est. Sed V. D. Otto ejus explicationem dedit, Lips. 1852 ed. II, qua certo certius constat Justini philosophi et martyris hoc opus esse. Ejus authentiam neque Hilg. defendendam esse putat¹⁾, quam inter Apostolicorum Patrum scripta recensenda non credit. Sic igitur omnia ea scripta, olim Patribus Apostolicis tributa, a criticis multis hujus aetatis acutis, recentiori tempori et auctoribus tribuenda esse censentur, nam *Recognitiones* et *Homiliae Clementinas* atque *Constitutiones Apostolicas* hodie omnes Viri Docti pseudonyma habent. Constat igitur illis ex scriptis solam Clementis Romani epistolam ad Corinthios priorem germanam a plerisque interpretibus haberi. Scio quidem, scholam Tübingensem hanc quoque spuriam censere, atque ad posterius tempus referre. Sed universe illa Hypercriticæ amans schola historiam quasi reconstructa pro suo commodo; atque in multis sola stat. Quare hoc præ caeteris ex aevo illo memorabili monumentum dignum habemus, ad cuius disquisitionem nunc transeamus. Si commendanda est ipsa epistola tamquam omnium certissimum documentum authenticum primi saeculi, mea disputatione ut laudetur, opto, ob expositionis simplicitatem et studii sinceritatem. Etsi meus esse in primis cupio, tamen e V.V. D.D. disquisitionibus, ut apparebit in specimine, saepe profeci; quod tibi, benevole lector, non ingratum fore nec prorsus displicitum esse spero.

1) L. l. vid. *Introitus* pag. 9 infra.

CAPUT PRIMUM.

CLEMENTIS ROMANI EPISTOLAE AD CORINTHIOS

ARGUMENTUM.

Per salutationem fere Apostolicam (Vid. Pauli ad Cor. I epistola, ubi initium fere idem, II ad Cor., ad Gal. Ephes. etc.) ab ecclesia Romae *quae peregrinabatur*¹⁾ ad Corinthiacam ecclesiam scriptam se praebet epistola nostra, quae videtur secundum caput LIX a tribus legatis transportata esse, qui revertentes responsum secum ferrent a Corinthiacis remissum.

Capita tria prima exordium continent de ecclesiae Corinthiacae conditione pristina et praesente, quas sibi invicem opponit epistola nostra, capitibus I et II priorem, posteriorem capite III exhibens. Primo vero loco auctor moram excusat quod non prius epistolam talem misissent, neque alio quo modo animum ad eorum sta-

1) Vid. Hebr. XIII vs. 14.

tum advertissent Romani. Ob succedentes subito sibi calamitates et res adversas¹⁾, Romanis quae acciderant ante epistolam nostram missam, ad res, de quibus apud Corinthios ambigebatur, tardius attendebant²⁾. Jam pergit epistola, causam praecipuam scribendi exhibens, et eas res ob quas Corinthi seditio orta esset accuratius tangens et clarius explicans: de seditione impia et injusta agens, Dei electis plane aliena, a paucis temerariis et audaciis hominibus mota, et in tam altum insolentiae gradum erecta, ut Corinthiacae ecclesiae nomen honoratissimum ignominia afficeretur.

Ibi eorum pristinam gloriam capitibus I et II accuratissime describit auctor. Illi enim ab hospitibus ob fidem et pietatem et hospitalitatem cum admiratione magni aestumabantur, Dei legem et ecclesiae ordinem observabant, et familiae ac religionis officia explebant antea. Iidem modesti erant et pacis amantes amorisque pleni, sinceri et simplices; seditionemque omnem et scisma abominandum putabant; ad omne bonum opus parati erant iis laudabilibus temporibus. Sed eheu, quantum mutatus ab illo praesens Corinthiacae ecclesiae status erat! Videatur de his caput III, ubi describitur plane opposita huic laudi conditio, mali nempe saevientis fons et natura. Ut e Veteris Testamenti citatione palam fit, ad

1) Domitianus nobis videtur hisce verbis indicare auctor persecutionem, quae alii de Neronis sumunt. Vid. infra de epistole scriptae tempore locus.

2) Non talia intelligenda, de quibus Romanos consuluissent, ut non nulli interpres, e. g. Cotelerius, Hefele et Bunsen; et quia verbum ἐπιεγέρθηται id significare potest quod vertendo expressimus, et ob capituli XLVII verba: καὶ αὐτη ἡ ἀκοή οὐ μόνον εἰς ἡμᾶς ἐχώρησεν.

superbiam seditionis originem auctor refert, quam deinde ut seditionem abjectorum in honoratos, ingloriorum in gloriosos, stultorum in peritos, juvenum in senes describit. Tristem luget ecclesiae Corinthiacaे conditio-
nen, ubi nempe justitia et pax procul absunt, Dei ti-
mor et fides et praeculta negliguntur, et concupiscentia
atque invidia prava regnant prae omnibus¹⁾.

Sic nobis adspectum Corinthiacaе ecclesiae epistola praebet, et in ipsum argumentum hoc simplex exordium statim nos introducit. Incipit inde propriae epistolae pars prima, quae accuratius seditionis et partium studii causam generalem tangit, quam postea in Corinthiacam ecclesiam practice adhibet. Admonitionibus capita IV—XXII constant fere tota, et quidem exemplis Veteris Testamenti in primis ornata sunt, unde maxime adhortationes suas sumit et quibus exemplis monita sua superstruit. Communes discordiarum causas primum adumbrans, deinde speciatim se ad Corinthios vertens majore vi pacem commendat epistola. Capite igitur IV Caini et Abeli historiam enarrat, quae Gen. IV vss. 3—8 invenitur, tamquam exemplo ea utens, unde appareat invidiam fraticidium primum secum tulisse. Per invidiam Josephus vexatus est et in servitutem redactus, Jacobus a facie fratris fugit, a Pharaonis facie abire

1) Verba „εἰ οὖ τοι θέλετος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον” non cum omnibus fere interpretibus (et Hilgenfeld) de primorum hominum lapsu intellico, sed de Abelio a fratre occiso ob invidiam; in primis ob Capitis IV initium γέραπται γάρ αὐτως tum etiam quia haec explicatio in epistolae argumento melius se habet quod ad contextum. Et tunc temporis, ut alibi hac in epistolā, tam libere scriptorum loci afferri consueverant, ut quid sibi voluissent ipsi non curaretur.

Moises coactus est. Eidem ζῆλος tribuit epistola Aaronis et Miriamis tristem sortem et Dathanis atque Abirami interitum, et quod Davides Sauli invidiam perpeti debuit.

Attamen non opus est petere exempla ex illis remotis temporibus solis. Etenim denuo recentissima tempora invidiae miseriam ostendunt. Ob ζῆλον (caput V) ecclesiae Christi columnae pessima quaeque passae sunt usque ad mortem. Petrus sic indefesse labores tulit graves, martyrium tandem subiit. Ita Paulus septies in vincula conjectus, fugatus, lapidatus est ob illam et martyr obiit. Caput VI multitudinem magnam memorat electorum qui per invidiam mala passi sint, atque patientiae in martyrio exemplum dederint. Et mulieres per eandem caussam multa passae sunt Danaides et Dircae¹⁾, quae tamen fidei metam attigerunt. Ζῆλος maritos ab uxoribus abalienavit, magnas evertit urbes, gentesque nobiles delevit. Quae exempla non ad docendum solum se attigisse affirmat auctor, sed maxime ad monendum et hortandum; Capite VII et Corinthios et se ipsum ad certamen idem bene certandum incitans. Vanas igitur et inanes curas relinquant, et ad vocatio-

1) Quaenam fuerint, plane ignotum. Veteres interpretes de Christianis mulieribus martyribus explicant, sed in martyriologiis non habentur earum nomina. Omnes conjecturae criticae incertae et dubiae sunt. Fortasse a margine in textum illa verba irrepserunt. Sed posset auctor ad Corinthios scribens Graecae Mythologiae personas tam notas tangere, quae Hilgenfeldii sententia mihi optima videretur, nisi verba sequentia de fide et praemio obstarent, ac totus contextus impediret. Attamen minime Ethnicis adversans consilium inde pateret, ut Hilgenfeld vult, sed exempla e classicis Graecorum mythologia petita reverentiam quandam in illam manifestarent, et Corinthiis placere velle eo modo videretur auctor.

nis Christianae normam praescriptam se conferant iis praecipit, Christumque p[re]e omnibus rebus magno pretio habeant ejusque sanguinem, ob hominum salutem effusum, toti qui mundo poenitentiae gratiam obtinuit. Iterum ad veteres respicit generationes, ex quibus exempla petit, quibus probet Deum iis quoque, qui cupiebant se convertere, poenitentiae locum dedit[er]e; ut Noachus et Jonas nobis adhuc probant.

Caput VIII pergit ad exempla eorum, qui *μετανοίας* admonitionem per Dei gratiam administrant, et Jehovah per prophetas clementiae affirmationem, quippe qui omnes suos dilectos poenitentiae participes fieri vult. Ubi de *μετανοίᾳ* satis dixit, ad fidei et obedientiae officium commendandum transit auctor capite IX. Quae ut Dei voluntati conjuncta proponit, quum contentio et aemulatio ad mortem ducant.

Sic agentes Henochus et Noachus servati et praemiis ornati sunt¹⁾). Caput X pergit eadem in re, Abrahami nempe fidem et obedientiam laudando, quod exemplum petit ex Geneseos XII vs 1—3 etc., praemium Abrahamo in filio Isaaco datum fidei et hospitalitatis causa statuens. Capite XI, Loth etiam propter hospitalitatem et pietatem salvus factus est, uxor vero ejus ob incredulitatem punita est, in exemplum quomodo dubius animus Deo vehementer displiceat. Quin etiam meretrix Rachab ob fidem et hospitalitatem servata est (capite XII), cuius historiam secundum Josuae caput II accu-

1) Capitis IX finem e Clemente Alexandrino interpolatum habuerunt Bernardus et Clericus, quos tamen Wottonus refutavit. Vid. Hefele pag. 67 n. 2. De his vid. ad locum nostrum de integritate epistolae infra.

rate enarrat¹⁾). Caput XIII conclusionem facit ex hisce omnibus: modestiam idcirco esse sectandam, sed fastum, superbiam et iram esse deponendam, ad quod stabilendum ex Vetere Testamento Jeremiae IX, vs 23 et 24, et Jesu Domini dicta recolit, qui amorem et longanimitatem praescripsit hominibus. Quare omnia quae seditioni ex invidia ortae opposita sunt, facienda monet epistola²⁾.

Optime haec omnia cum tota ratiocinatione convenient: nam cum vera conversione ad Deum fides et virtutes cohaerent vel saltem fructus sunt, ex quibus arbor cognoscitur. Et hic quidem excursus ecclesiae Corinthiaca conditioni bene congruebat, in primis per sequentem applicationem, quae incipit inde a capite XIV, per οὗ copulatam praecedentibus. Secundum ea exempla justum est et pium Deo magis obedire quam illis, qui praesunt seditioni abominandae per superbiam et turbulentiam. Periculum enim magnum erat ad contentionem et seditionem delabendi. Potius, sicut Deus, benignitate pleni simus et amore, quas Dei virtutes ex Vetere Testamento denuo probat.

Ita jam ad consilium suum accedit auctor, quod persequitur capite XV ad pacem admonens Corinthios ex pietate ortam, non hypocriticam. Cujus simulationis exempla affert ex V. T., quae ex Jesaiae vaticiniis et

1) τὸ κόρυτον hoc loco tamquam Christi sanguinis symbolum rabbinistice dictum, et prophetia Rachabis sic minime historice, sed typologicè allata.

2) Mosheimius Capita XI et XII interpolata habebat, quia ep. n. nexum logicum iis violatum putabat; sed de hac re vid. Hilgenfeld l. l. pag. 58.

Psalmis petit. Inde maxime hoc ostendit, Deum iis resistere, qui simulate eum diligunt et labiis tantum profitentur. Deinde Christi modestiam memorat, Christi qui tanta maiestate et gloria gaudens tam modeste se manifestavit, remota omni superbiae et arrogantiae jactantia, de quo Jesaias capite LIII notissimo propheticte talia praedixit. Hunc igitur ut exemplum sane dignissimum ob oculos pingit, quo ductus lectores, qui ejus gratia fruuntur, ad imitationem hortatur capite XVI. Sed etiam prophetae qui humili sub specie ejus adventum annuntiarunt, ut Elias et Elisa et Ezechiel exemplum hac in re praebuerunt, quod ante oculos sit Corinthiis quodque sequantur oportet. Sic et Abrahamus Dei amicus et Jobus vir ille justus et pius submissi et modesti erant; quin etiam Moises, per quem Deus res tam praeclaras effecit, et cui gloriam magnam dabat, rogabat: quis ego sum, ut me mittas? Optimum autem et notissimum modestiae exemplum Davidem iis esse capite XVIII epistola nostra affirmat, hominem illum secundum cor Dei, quem Jehova regem elegit et ungi jussit.

Caput XIX: Tot et talium virorum, qui testimonium tam clarum acceperunt a Deo, pia modestia nos etiam ipsos meliores reddere potest et debet, nempe eos qui Dei oracula in timore et veritate suscepserunt; ut porro admonet ep. n. Christiani in primis, qui tam illustrium rerum patefactione in scriptura sacra gaudemus, ea ita utamur, ut ad pacem nos convertamus, quae ab initio nobis ante oculos posita est tamquam summus, ad quem tendere nos decet, scopus. Et Deum ipsum attente contemplemur, qui ut creator et parens totius mundi dona

optima et magnifica pacis largitur, quae Dei beneficia bene attendenda sunt. Si enim, (ita pergit,) oculis mentis nostrae Dei voluntatem intuemur, hanc patientem et clementem erga omnes, quas creavit, naturas esse persuasum nobis fit.

Quam rem clarius et accuratius explicat et probat ex rerum natura caput XX: totus enim mundus pacis et ordinis imaginem nobis praebet, et terra ac tota rerum natura summam illam legem stricte observat. Coeli Deo subjecti suo ordine manent, dies ac nox cursum praescriptum absolvunt. Sol et luna siderumque chori secundum Dei mandatum sine aberratione ulla constitutas sibi vias summa concordia sequuntur. Terra suo tempore, nempe a Deo praescripto, omne nutrimentum animalibus profert, ea abundantia quam Deus vult. Quin etiam subterranea quae investigari nequeunt¹⁾, et inferorum regiones²⁾ non enarrabiles Dei legibus obediunt. Et mare immensum ab eo regitur, circumscripta claustra non transgrediens, Oceanus qui hominibus non finem habet³⁾, trans quem sunt mundi, qui Dei legibus obtemperant. Anni tempora quatuor pacifice sibi invicem succedunt; venti cum omni suo impetu utiles ad hominum vitam sustinendam, quin etiam animalia minima

1) ἀβύσσον proprie profunditatem significat, fundo nempe carentia loca; fortasse de orco, et sequens κρίματα de judicio ibi habito; de quibus sane ad Graecos potuit scribere auctor.

2) κλίματα nos legimus: sic enim melius locus explicari potest; si quis κρίματα retinere velit, explicandum erit de judicio apud inferos habendo.

3) ἀπέργως non impermeabilis est, ut multi interpretes explicant, sed ex propria verbi περίην notatione terminos non habens.

concordiae a Deo datae legi obediunt. Sic nobis tota rerum universitas unam eandemque concordem pacis legem praebet, ut Creatoris voluntatem clare in ea expressam, qua summus opifex naturis creatis benefacit omnibus. Sed Christianis p[re]e aliis, si pie ad eum fugiunt, per Jesum Christum beneficia sua largitur.

Tanta igitur beneficia ne in judicium vertantur accipientibus, sed exemplum p[re]beant oportet, quo ducti Dei voluntatem homines faciant et concordes sint (caput XXI). Deus omnes cogitationes et collocutiones nostras scit, quia nobis prope adest, quare ne ejus voluntati renitamus, sed multo magis superbis istis resistamus. Officia nostra erga Christum, ecclesiae p[re]positos et uxores colamus, ut hae quoque meliores fiant. Liberos Christi disciplinae participes faciamus; modesto amore eos imbuamus: Deus enim est consiliorum et cogitationum mentis nostrae scrutator, cuius Spiritus est in nobis, quem, si voluerit, auferet. Haec omnia confirmat auctor per fidem Christianam capite XXII, de qua Psalmus XXXIII videatur, quem laudat ep., quippe ad pietatem et justitiam adhortantem.

Caput XXIII. Inde ab hoc capite veluti nova ep[istola] pars incipit, quae quidem a generalibus admonitionibus et p[re]ceptis Ethices se convertit ad specialem Christianae vitae normam petendam ex Dei gratia, cuius subsidia hic illic memorat, non in philosophicum systema redacta, attamen cum p[re]ceptis de via salutis quodammodo juncta¹⁾). Quemadmodum universe hucusque de

1) Mosheimius interpolata habet capita 22—27: sed capit[is] 28 initium aequ[er]e bene sequitur post capit[is] 27 finem ac 21; non opus est, si haec

modestia, pace atque obedientia egerat ep., ita jam peculiare consilium persequi incipit.

Statim nunc ad Corinthios ut Christianos se convertit auctor, gratiam divinam, ut per totam epistolam, hic quoque urgens. Quum de natura et de iis, qui e V. T. ad voluntatem Dei peragendam incitant, agi coeptum esset, a capite XXIII inde sola spes Christiana ante oculos ponitur: Deus igitur clemens erga timentes eum, quibus gratiam suam largitur, si saltem non dubitemus de illa. Posthaec statim ad spem futuram venit, ad Christi apparitionem, quam fructus ad maturitatem venientis exemplo et Scripturae Sacrae testimonio probat, et capite XXIV ad resurrectionem futuram, cuius primitias Deus Iesum fecit; quamque spem exemplis diei et noctis, seminis et frugis demonstrat. Neque mirum mihi, ut Moshemio¹⁾, videtur, ita scripsisse auctorem hoc loco, quia via salutis et gratiae non melius quam ex sequelis ut vera probari, et ex harum luce illustrari rite potest. Rarum exemplum Phoenicis est capite XXV, quod jam Bignonio, Moshemio et Photio displicuit, sed quod explicandum, ut nonnulla quae jam supra similia habuimus, ex classica eruditione auctoris, quae multis in locis patet, ex usu multo fabulae hujus, et ex indole Corinthiorum Graecorum, temporisque scriptae epistolae universa indole. Hoc solum exemplum est, quod etiam auctor

ad Pauli ad Cor. ep. 1, cap. 15 respiciant, interpolatorem haec adjunxisse, quia et auctor Pauli epistolam neverat, vid. cap. 47. Vid. et infra cap. 25 et locus de integritate epistolae.

1) Mosheimius ipse dicit se hunc locum rejicere ut spurium: „meo judicio, aut si mavis, mea divinatione.” Qualem vim tale argumentum habeat, aliis judicandum relinquo.

παράδοξον vocat, quod vocabulum me judice potest indicare, incredibile illud esse.

Caput XXVI: Nonne igitur rerum omnium opifex si credimus ut resurgamus efficere potest? Quod V. T. jam docet. Si igitur tam certa est resurrectio e mortuis, conclusionem facere hanc rite licet: (caput XXVII) nos debere nos conjungere tali Deo, ei fidem et obedientiam praestare. Nam etiam omnipotens et omnisciens est ille Deus. Ex quibus omnibus haec sequitur applicatio: Deum igitur metuamus, ejus voluntatem faciamus, alioqui enim quomodo eum effugere poterimus? Caput XXIX ad praesentem Dei gratiam lectorum oculos convertit, et officium hominum electorum in Christo pro Dei benignitate demonstrat. Exemplis e V. T. hanc electionem (omnino plane generalem) cum Israëlis a Deo electione comparat, et caput XXX nostram cum Deo cognitionem usurpat ad generales admonitiones, peculiaresque ad epistolae argumentum relatas. Christianorum persuasio se esse Dei populum et *Ἄγιον μερίδα*, adhortationem aptissimam ad sanctitatem vitae commendandam ei suppeditat, vid. caput XXX. Superbia ibi una cum vitiis pessimis vocatur, sine dubio ob peculiare auctoris consilium, quod ad modestiam et pacem spectat. De illa concordia, modestia atque continentia fere totum agit caput, quibus opponuntur quae repudianda sint temeritas, arrogantia et audacia ut Deo displicentia vitia. Hic saltem thema ep. in oculos incurrit, et clare se ostendit, atque etiam virtutum earum necessitas quippe Dei voluntas, quae necessitas ex Dei gratia suprema ac potentia denuo sequitur.

Caput XXXI: Incipit expositio peculiaris de via salutis (proprie sic dicta in dogmatica Christiana). «Vi-

deamus, pergit auctor, quaenam sint *αἱ ὁδοὶ τῆς εὐλογίας.*" Historica via hoc inquirit, quae ab initio facta sint exponens: Abrahamus, Isaacus et Jacobus ob fidem et fiduciam et modestiam benedicti sunt (salvi facti, justificati). Neque (caput XXXII) dona a Deo data singula parvi momenti facienda sunt; ab illo (Deo nempe)¹⁾ Sacerdotes et Levitae, ab illo Dominus Jesus secundum carnem, ab illo reges et principes et duces (dati sunt scilicet) per tribum i. e. in tribu Iudae. Sed omnes Dei populi tribus magno honore fruuntur secundum Dei ipsius promissionem. Sic in via salutis Deus permagna dona largitur, quae tamen homines minime per se ipsos nanciscuntur vel opera sua, sed per voluntatem Dei. Deus enim auctor est salutis nostrae, nempe per voluntatem suam nos vocat in Christo Jesu. Nos neque per sapientiam neque per pietatem nec per opera, ne optima quidem, sed per solam fidem Deo omnipotenti habitam justificabimur. Ita sunt ab initio omnes justificati ab illo, cui sit gloria in aeternum^{2).}

Caput XXXIII: Metum ostendit auctor h. l., ne lectors inde concludant, prorsus non bene agendum esse, et universe quae faciamus infimo loco habenda: quare statim eum, qui justificationis ex sola fide doctrina ab-

1) Αὕτω nonnulli legunt male: sed quare fere omnes et Hilg. p. 65 n. 21 et Hefele ad Jacobum retulerunt? Αὕτω in prima cap. sententia sane ad Deum se refert, quare h. l. ad Jacobum? Nonne δέδονται ex δεδομένων potest subintelligi? Et num h. l. Jacobum praedicandi ep. est consilium? Minime, sed Deum, qui talia dat gratis, ut ex sequentibus patet, quae videantur.

2) Sane Paulina fere plane sententia, vidd. e. g. ad Rom. capita III, IV et V. Vid. infra locus de dogmatica epistolae indole.

utitur, sic refutat: „num igitur cessabimus a bonis operibus, num charitatem relinquemus? ¹⁾ Minime hoc consilio Dei conveniret: sed cum ardore et studio omne benefactum peragamus potius. Nam et Deus ipse suis operibus gaudet, et omnia (coelos et terram et animalia) sapientia summa ductus creavit et ea opera in iisque Oceanum in primis ornavit, et hominem insuper excellentissimum p[re]ae omnibus formavit animalibus. Siquidem Deus in opere hoc suo, in homine imaginem suam effinxit, et justi omnes se bonis operibus ornarunt, tali exemplo ducti et nos impigre ad Dei voluntatem exsequendam accedamus et justitiae opus omnibus viribus operemur.” Quae omnia minime secum pugnant, aequa ac Pauli in epistola ad Romanos disputatio; eodem enim modo atque illa explicanda sunt. Auctor tamen non sicut Paulus acute sententias exponit, quas lectoribus notas scit, et quia etiam hac in parte epistulae practicum solum consilium habet.

Caput XXXIV: Bono animo sic praemia sperare possumus, quae segnis homo minime exspectare debet ²⁾. Illa praemia a Deo nobis dantur; qui per ea nos incitat et ad se convertit. Sit igitur laus nostra et fiducia Deo tributa. Ei subjecti simus sicut Angeli ejus. Ad Deum sic semper concordes uno veluti ex ore ³⁾ precemur, ut

1) Comparanda sunt haec cum ep. ad Rom. capit. VI initio. Haec enim fere iis similia, et quod ad formam attinet.

2) Quare Hilg. pag. 67 regula 5 sic: siquidem opera bona minime mercis meritum dant, tamen etc.? Non haec in ep. insunt, nec vere h. l. sunt etiam dicta.

3) Τῷ συνεπόντει sine dubio affirmat τὸ αὐτὸν et ἐξ ἑνὸς, et unitatem sic in iis verbis expressam magis intensivam reddit. Vid. Hilg. n. 24.

ejus dona accipiamus. Sic semper ad Deum, cuius supremum imperium iterum iterumque urget, revertit epistola nostra. Sequitur capite XXXV descriptio donorum Dei: quorum tamen excellentiam Deus ipse solus perspicere potest, ut affirmat auctor. Fides est necessaria ad ea impetranda¹⁾. Porro adminicula salutis sive media gratiae sequuntur, quae virtutes sunt, vitiis oppositae, quae hanc impedirent. Deus est qui impie viventem oderit. Vid. Psalmus XLIX vs 17—23. Etiam in his epistolae thema nobis ponitur ante oculos, nempe in vocibus: ἔρεις, ὑπερηφανία, ἀλαζονεία etc. Sic exposuit auctor salutis viam, mediaque gratiae nominavit. Sic igitur salutis conditio consistit nobis in fide et operibus secundum epistolae verba, sed eorum copulationem intimam minime tangit.

Caput XXXVI: Per hanc viam et Christus noster Servator fiet et Pontifex maximus, qui nobis et Dei cognitionem et religionis et nostri ipsorum manifestationem quasi dat. Christus, qui Angelis major est ac Dei Filius, qui Deo volente ad dextram illius sedebit, donec inimici ejus sint subacti, scilicet impii, perversi, qui Dei voluntati resistunt. Pulcre sic ad Christum tamquam spem solam Christianorum omnia salutis media refert, quippe in eo, qui viam salutis sese esse professus est, viam nempe ad Deum, consummatam; pulcre in primis sic ad Christianos scribit; pulcre sic summam totius antecedentis ratiocinationis hoc caput in fine continet. Neque haec omnia superflua: rite enim epistolae toti

1) Non credo cum Hilg. pag. 67 media h. l. de spe Christiana sermonem esse, sed de donis quibus hac in vita fruimur.

argumento congruunt quae, omnino necessaria ad salutem universe, etiam Corinthios ad concordiam et pacem et modestiam speciatim ducere poterant et debebant. Sic facile fides nos ad bona opera sectanda hortatur, quae secum fert illa, et per se operatur quasi. Fidem autem necessariam ipsi etiam Corinthii habebant. Quare seditiosi his argumentis victi auctori morem gerere debebant.

Sic epistola lectores religionis Christianae gratiam permagnam docuit ejusque obtinendae viam atque salutis per Christum impetrandae subsidia; quae omnia serviebant consilio generali auctoris et Corinthiorum animos praeparabant ad monita de ipsa lite et partium studio audienda: nam et magnum pacis et modestiae momentum et virtutum earum cum summis religionis Christianae placitis conjunctio ita iis ostendebatur. Quare nunc transit ad ecclesiasticam indolem religionis Christianae, porro ad peculiarem Corinthiacae ecclesiae illo tempore conditionem. Sed et in his primo ad generalem ecclesiae, tum ad peculiarem Corinthiorum statum respicit, et in primis adhortationibus peculiaribus temporis illi accommodatis concludit auctor. Videamus igitur, inde a capite XXXVII, quae de ordine dixerat antea et Deo grata obedientia, quo modo ad ecclesiam ea nunc applicet, utens exemplo militum qui ordinem servant et εὐτάκτως atque εὐεἰκτως jussa perficiunt a ducibus data. Non omnes in exercitu sunt neque esse possunt duces; quisque vero miles suo in ordine officium suum praestat. Magni et parvi quod ad potentiam et vim esse debent; quorum σύγχρονος est utilis. Haec sine dubio etiam ex corporis humani diversis membris probari possunt, quo-

rum etiam infima utilia sunt ad commune universi corporis consilium. In eo nempe omnia conspirant ad totum conservandum. Haec jam applicat ad ecclesiam capite sequenti (XXXVIII). Corpus igitur Christi ita servetur, quemadmodum humanum corpus ordinem servat: omnium ideo officia h. l. memorantur¹⁾. Et in his animi sibi non placentis modestiam, sapientiam veram esse dicit, quae non verbis sed factis ostendatur. Ad Deum esse referenda omnia docet. Fortasse haec ultima vanam Corinthiorum eloquentiam ac verborum rumorem spectare videri possunt, ut et Paulus in epistola sua I ad Corinthios capp. I et II talia refutat; sic multi interpres explicant, sed verba minime talem sensum poscunt, nam verba εὐλόγοις de glossolalia vel aliis talibus de rebus capienda esse non video.

Caput XXXIX: Stulti et fatui, iidemque imperiti ut semper, harum virtutum cultores et doctores derident, quod inde efficit auctor, quia secum se extollunt: sed quid id refert, quum mortalis sit homo et debilis sine ullo dubio? Vid. Jobi capit. IV, vs 16 seq. Proxime ad lectores haec nunc applicat. In ecclesia enim omnia ordine fieri oportet, ac temporibus statutis, idque eo accuratius quo melius per Christum divina cognitione imbuti sumus. Quae sequuntur sine dubio de Veteris Testamenti ritibus intelligenda sunt: oblationes et officia sacra Mosaismi secundum Dei jussum et voluntatem peragebantur omnia et tempore quidem justo et a personis, ad tale sacerdotium a Jehova destinatis, non a

1) χαρτομάτι αὐτοῦ, non cum Hilgenfeld de Dei gratia, sed de ejusque peculiari indole, a Deo data, capio.

vulgo¹⁾. Caput XLI haec etiam urget, de loco sacrorum (Hierosolymis sub Mosaismo) scribens, epistola, mortis etiam poenam memorans sub V. T. iis statutam, qui contra Dei voluntatem egissent. Quae ad Christianos transfert auctor, docens Corinthios tamquam tales majore gaudere cognitione²⁾ eosque igitur majori poenae obnoxios fore, si delictum contra ecclesiae ordinem committerent. Sic Christianos admonet Mosaicae religionis exemplo utens. Porro caput XLII agit de ortu ordinis sacerdotalis in ecclesia Christi. Quare primo de vera Apostolorum missione haec habet: sunt missi a Christo³⁾, qui a Deo venit, secundum Dei voluntatem. Hac missione freti, de Christi resurrectione certiores facti, Deique verbo nitentes, a Spiritu Sancto ducti, regni divini adventum annuntiarunt. Per regiones igitur et urbes Christum annuntiantes, primos quos converterant Spiritu probatos, episcopos et diaconos eorum, qui credentes forent, constituerunt. Qua in re minime novi quidquam fecerunt; Jesaias⁴⁾ enim jam multis ante saeculis de his praedixerat. (caput LX, vs. 17.) Caput XLIII. Non mirum hoc, quia Apostoli hac in re Moysis exemplo nitebantur, ut in capite XVII Numerorum

1) Vox τόπος est ordo sacri ministerii, quod Jacobson jam vidit. Vox λαζής apud Hellenistas potuit esse in usu et significare, ut Hefele vult, hominem nullo qui sacro munere fungitur.

2) γνῶσις h. l. tantummodo de revelatione Christi quod ad eccl. ordinem mihi intelligenda esse videtur, ac minime de quadam Christianorum peculiari mentis philosophica illustratione a Christo data.

3) εὐαγγελισθησαν cum Hilg. n. 26 verto passive: evangelii annuntiandi munere praediti a Christo sunt.

4) Dubium moveri posset, utrum Jesaias de his, an de Israëlis ducibus ecclesiae dixerit. Vid. locus de Sacrae Scripturae in epistola nostra usu.

libri narratum invenitur. Quae tamen verba magis ad sequentia, quam ad praecedentia referenda sunt. Nempe (cap. XLIV) Apostoli sciebant fore lites de ecclesiae regimine¹⁾, quales Moysis jam tempore fuerant, quod a Jesu Christo cognoverant. Perfecta igitur praescientia (quod ad hanc rem saltem, et quid facilius ad conjiciendum erat, quam lites tales futuras esse?) praediti, haec ad munera antea vocatos (cap. XIII: diaconos et episcopos) constituerunt, post quorum mortem alios succedere jusserunt, qui etiam viri probati esse debebant, per ἐπινομὴν²⁾ nempe illud decernentes. Constitutos primo ab Apostolis, deinceps alios ab aliis viris probatis cum universae ecclesiae consensu, quum inculpate Christi gregi servierint et per longum tempus testimonium habuerint bonum ab omnibus ecclesiae civibus, non justum habemus hos e munere dejicere. Neque leve hoc erit peccatum, praesertim si probi et accurate regnantes fuerint. Beati ii, qui tales ante res e vita abierunt! Et vos nunc, ut vidimus, nonnullos honeste officio fungentes ab munere dimovistis³⁾. Sic epistola ad Corinthiorum casum peculiarem se vertit, cui sequentia capita tota tribuit.

1) ἐπὶ τοῦ ὄνθματος τῆς ἐπισκοπῆς significat: de re (min. de dignitate) episcopatus i. e. regiminis ecclesiae. "Ονομα" saepe sic usurpatur, et ex contextu patet h. l. non proprio sensu dici.

2) De voce ἐπινομὴ variae sunt sententiae. Nos per ordinationem vertimus. Vid. caput de litibus Corinthiacis § 1. Ubi etiam de voce μεταξὺ vide, quae difficultatem habet, quia proprie interea significans etiam postea potest verti.

3) Mosheimius putat capita XL—XLV spuria vel interpolata, quia talia nulli homini possent in mentem venire, nisi rei quam agebat prorsus immemori. Sed id agunt, ut obedientiam Clero habendam commendent,

Caput XLV: Corinthios ob rixandi studium et in rebus non ad salutem pertinentibus aestum male sanum carpit epistola. Scripturam Sacram adeant, in qua nihil injusti invenitur. Justi enim persecutionem passi sunt solis ab impiis. Exemplum hujus rei praebent Daniel, Ananias, Asarias et Misaël vexati ab injustis, qui nesciebant Deum exsistere piorum defensorem. Talibus igitur exemplis utantur (capite XLVI) ut etiam Sacra Scriptura docet. Innocentibus se adjungant, monet epistola. Quare igitur inter vos dissidium? pergit. Nonne eadem religionis principia fundamentalia vobis omnibus communia sunt? Nonne haec lis Christi corporis membra discerpit et contra proprium corpus seditio est? Et Christus ipse haec vetuit, et e tali schismate multa mala sequuntur. Jam Paulus (capite XLVII) vos monuit ut a litibus abstineretis, et tum sane de Pauli et Apostolorum auctoritate dissensio erat, nunc vero quinam sunt quos secuti estis? (Pauli igitur epistola ecclesiae Romanae erat nota; de litibus Pauli tempore Corinthi agitatis vid I epistola ad Corinthios, I caput, vs 10 seq.). Dedeceus est, talem ecclesiam, qualis Corinthi erat, ab uno vel paucis hominibus contra presbyteros excitari. Cujus rei fama et ad nos et ad ethnicos¹⁾ jam venit, ita ut et Domini nomen ignomonia afficeretur, et vos in periculum²⁾ veniretis. Caput

quare hoc in ep. argumento bene se habent. Vide n. 31 apud Hilg. et de integritate ep. quae infra dicenda sunt.

1) ἐπεροχλεύεις (vid. et cap. XI) significat, ex contextu ut patet, paganos, quibus contumeliae occasionem Christiani primaevi dare solebant.

2) κίνδυνος minime de poena ut Hilg. pag. 72, sed de periculo salutem amittendi mihi videtur intelligendum esse.

XLVIII. Ea igitur cito tollatis, conferatis vos ad Dominum precantes ut vobis reconcilietur et pristinam fraternitatem reddat, pergit epistola. Porta justitiae est Christus, per quem beati omnes intrarunt. Quo melior aliquis est, eo modestior sit atque omnibus utilior, non sibi solum. Cap. XLIX caritatis laudem continet, quae multis in rebus cum Pauli I ad Corinthios ep. capite XIII celebri potest comparari; summa haec est: sine ea Deo nihil placet quod facit homo. Cap. L: Eam habent tantum ii, quos Deus dignos habet, et in ea manent hi. Quare Deum precemur caritate ducti. Historia docet, homines ea praeditos piorum locum obtinuisse: per eam peccata nostra remittuntur. Quae salus iis tantum contigit, qui per Jesum Christum a Deo sunt electi. Sic igitur capite LI: hac in re (in litibus) qui peccarunt, veniam implorent. Seditionis vero principes communem tantum Christianorum spem exspectent. Qui caritate pleni sunt, se quam alios detrimentum capere malunt. Confiteantur peccata sua caritate destituti, cor suum ne indurent, ut ii qui contra Moisem rebelles fuerunt. Tales enim morte puniuntur, ut et Pharaoh cum exercitu suo. Quae omnia urget cap. LII: confessio enim talis Deo placet, qui id tantum vult. Davides sic jam in Psalmo LXVIII cecinit. Moises jam (caput LIII) pro salute populi Israëlitici Deum precatus est, una cum iis interire paratus. Caput LIV: Si quis generosus inter vos est et misericors ac amoris plenus, abeat omniaque faciat, ut Christi certe grex in pace degat cum constitutis presbyteris. Qui ita agit et Dei laudem et gloriam sibi conciliat, et locus omnis eum recipiet. Talis caritatis porro exempla caput LV

tradit: regum ethnicorum, qui vel morti se tradiderunt pro salute populi sui, vel in servitutem abierunt et exilium: Esther, Judith etiam, quamvis mulieres, tale quid ausae sunt. Quarum prior piâ modestiâ se dignam praebuit Dei auxilio. Caput LVI: Oremus pro iis qui in peccatum lapsi sunt, ut ad eos animi sensus perveniant, quibus animati Deo cedant, non nobis; disciplinam, quam omnes ferre debent, et vos feratis. Admoneatis vos invicem, quod est utile, quia ad divinam exsequendam voluntatem nos componit, quod et Sacra Scriptura approbat Psalmo CXVII et CXL, et Jobi liber capite V, vs 17 seq. Quos castigat Deus, eos amat et erudit: bonos nempe, quorum curat emendationem. Capite LVII proxime ad seditiosos se convertit, quos ad obedientiam et poenitentiam hortatur et ad insolentiam deponendam. Melius enim est in Christi grege ultimum esse, quam magnum quidem haberi, sed illius spe destitui¹⁾. Caput LVIII post has admonitiones votum continet, Deus vobis omnes virtutes largiatur per Christum, per quem Deo sit laus et gloria et majestas. Tandem capite LIX rogat ut legatos brevi temporis spatio remitterent, qui cum bono nuntio concordiae et pacis restitutae reverterentur. Gratiam postremo loco Corinthiis apprecatur, quam omnibus a Deo per Christum vocatis vult dari auctor epistolae, quam concludit doxologia.

1) De iis quae desunt post caput LVII vid. Hilg. l. l. n. 33, et locus noster de integritate.

— — —

CAPUT SECUNDUM.

DE OPPORTUNITATE SCRIBENDI EPISTOLAM SIVE DE LITIBUS CORINTHIACIS EO TEMPORE AGITATIS.

Ex epistolae nostrae argumento sine dubio occasionem qua scripta est efficere licet, eamque exquirere sane utile erit, quia diversae de ea sententiae sunt. Quamquam enim inter omnes constat, lites fuisse vehementes in ecclesia Corinthiaca, ad quas pacandas ecclesia Romana epistolam nostram misit, tamen de litium illarum indole tot fere inveniuntur sententiae quot sunt interpres. Et Vir Clarissimus quidem Hilgenfeld, qui postremus de hac re sententiam dixit, putat epistolam lites illas non tam clare exponere, ut omnium unanimis de iis possit esse sententia. Qua in re tamen minime cum eo facere possum, putans simplici ex epistola non ambiguam scribendi causam patere. Quod hoc capite probare cupio; prius tamen quam rem illustrem, quae sub judice adhuc lis est, diversas sententias, praecipuas

saltem, exponam et dijudicabo. Sic igitur Rothii, Schenkelii, Hilgenfeldii sententiis singulis in paragraphis dijudicatis, quid mihi statuendum videatur modeste tradam.

§ 1. Rothius sic sententiam exponit in libro: *Anfänge der Kirche*, pagina 404 seq.: „Seditiosa erat Corinthisorum indoles, sed episcopus bono regimine eos continebat per longum tempus. Quo tamen mortuo partium studiosi se efferebant, libertatis desiderium ecclesiam corripiebat, quae a paucis deinde fanaticis regebatur. Vacua enim sedes episcopalibus erat occasio convertendi res ecclesiae in democratiam.

„In presbyterorum collegium in primis irati erant, quippe quod ab episcopis institutum esset neque novatoribus cedere vellet. Sic huic novi episcopi eligendi potestatem denegabant, quae tamen presbyteris competit. Veteres igitur presbyteri dejiciebantur, quamquam jure instituti, et novum presbyterium constitutum est, a seditiosis electum. Fortasse ordo tantum est restitutus a novo episcopo, propinquarum ecclesiarum auxilio electo et constituto, qui suā usus auctoritate disciplinam ecclesiasticam restituit.”

Quam Rothii sententiam Viri docti Ritschl et Hilgenfeld refutarunt, prior in opere: *die Altkatholische Kirche*, pagina 411 seq. sic fere disputans: „Ex usu vocum ἐπίσκοποι et πρεσβύτεροι in plurali numero sequitur, minime mutatam esse ecclesiae conditionem, qualem eam in Pauli epistolis informatam invenimus: si enim unus episcopus supra presbyteros se extulisset, quomodo nostra in epistola prioris illius conditionis commoda mentio fieri potuisset? Vid. caput XL In

“ecclesia quidem Corinthiaca eadem fuisse haec munera
“(τῆς ἐπισκοπῆς et τῶν πρεσβυτέρων) ex capite XLIV
apparet. Rothius saltem has res exponens oblitus
est epistolam nostram magis practicum consilium quam
logicam subtilitatem persequi, et sic acutius quam ve-
rius singula verba explicavit. Semper igitur voce ἐπι-
σκοπὴ munus presbyterorum indicare auctorem putat
Ritschlius. Neque episcopi proprie sic dicti in epi-
stola nostra mentio fit, quem eo tempore mortuum
fuisse inanis est sane Rothii conjectura. Sed ecclesia
Corinthiaca a pluribus sine dubio vel presbyteris vel
episcopis exeunte saeculo primo regebatur. Quod con-
firmatur Capite V Visionis III *Hermae Pastoris*, ut et
similitudo IX, cap. XXVII: “quidam episcopi” idem
probat.” Haec Ritschlius.

Ita vero Hilgenfeldius refutavit Rothium: “Ipse
Rothius concedit Corinthios in epistola semper ad
obedientiam tantummodo erga presbyteros impelli. Ubi
ἥγομενοι etiam memorantur, nec hinc tamen senes fuisse
πρεσβύτερους sequitur. Porro patet ex epistola identitas
presbyterii et τῆς ἐπισκοπῆς (cap. XLIV). Quocirca mu-
nus ecclesiasticum, de quo in epistola nostra mentio
fit, est vocandum “presbytero-episcopale.” Sic recte me
judice Hilgenfeldius.

Quod ad meam sententiam attinet, mihi etiam capitibus
XLIV explicatio cardo rei videtur esse, quod ab illo
monemur pagina 374 l. l. Jam in contextu exponendo
posuit, Apostolos tali presbyterorum institutioni tantam
auctoritatem dedisse privato suo consilio. Unde constat
illos in ecclesia vim habuisse aliquam non Christo de-
bitam? Porro vocis ἐπινομὴ significatio, quam probat

Rothius, mihi videtur mera esse hypothesis. Quomodo enim ἐπίνομος et κληρονόμος idem possunt esse, quod qui-
dem Hesychius, Tom. I, pagina 1371 dicit, minime
vero probat, ponit tantum Rothius? Cum δοῦναι potest
non minus bene jungi illa vox, si a νόμος derivata signi-
ficat „lex, institutio”. Et quod ad grammaticum loci
sensum: non est quod κοιμηθῶσι ad Apostolos potius re-
feramus, quam ad successores de quibus sermo est. Me
judice, nemo qui sine praejudicata opinione haec legit, post
prius ὅπως rursus subjectum quaeret. Tum αὐτῶν, non
αὐτῶν legendum fuisset. Sed jam de rei totius ratione
videamus. Vulgarem, quae nostra etiam est, interpretationem
laxam vocat Rothius et inutiliem: nempe succes-
sores viros probatos esse debuisse, id clarum esse, sed
a quibus electi sint id quaeri. Quam litem dirimere
hunc locum existimat Rothius. Attamen rogo meo
jure: num de hac re lis in Corinthiaca ecclesia? unde
patet hoc? Ex epistola minime; ubi ego certe illius
sententiae nullum praesidium invenio. Lites enim de
muneris electione si agitari potuerunt, quidni intelligi
possunt de hujus muneris perpetuitate generali?

Tandem verba quae eodem capite XLIV infra inve-
niuntur: „συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης” contra
Rothii sententiam aperte pugnant, si enim episcoporum
electio non ab episcopis fiebat, quod per se jam de pri-
mis illis ecclesiae democraticis temporibus vix exspe-
ctandum esset; epistolae auctor de illa ἐπίνομῇ nihil
alio loco dixit, notam igitur eam ponit. Hoc autem
bene cum vulgari opinione de litium opportunitate con-
venit, sed minime cum Rothii sententia.

§ 2. Schenkelii opinio prodita in dissertatione de

litibus Corinthiacis (§ 65) sic se habet: "Homines pauci,
"audaces, superbi Corinthi ἀλλόχοα καὶ ὑπερήφανον τῆς
"γλώσσης αὐθιδειαν habentes (caput LVII), copia di-
"cendi quadam, quamvis immodesta, prae ceteris excel-
"lentes, seditionem in ecclesia excitarunt, eo consilio ut
"presbyteros ab Apostolis constitutos e loco dejicerent,
"quia nolebant, esse in ecclesia Christi qui omnes au-
"ctoritate antecellerent externa (nempe ab aliis homi-
"nibus iis commissa), ipsi tamen minime succedere his
"cupientes. Litium ausa et seditionis occasio erat in
"primis haec, quod illi gloriarentur ipsius Christi
"discipulos se esse, cuius igitur auctoritate freti, ut
"putabant, tanta in ecclesia audebant, ut vel a Christi
"Apostolis institutos presbyteros contemnerent. Duae
"igitur erant Corinthi partes, quarum altera ecclesiae
"praefectis obediebat, altera, Apostolorum et ab iis in-
"stitutorum presbyterorum auctoritate rejecta, sibi ipsi
"sapere volebat, ut Christo soli addicta." Hucusque
Schenkelius, cuius sententiae multa obstare ex ipsâ
epistolâ ducta argumenta, mox nobis apparebit. Sed
primum videamus, quomodo haec jam refutaverit Hil-
genfeld l. l. pagina 76 seqq.: "Primo loco, inquit,
"res de qua quaerebatur toto coelo ab ea differebat:
"neque etiam seditio, quae in epistola nostra exponitur,
"inde existebat. Apostolorum auctoritatem agnoscere no-
"lebant, judice Schenkelio, seditiosi Corinthii, Chris-
"tum solum se sequi jactantes. Sed quid igitur epistolae
"cap. XLII presbyterorum ab Apostolis, quos Christus
"elegerat, factam institutionem argumentum firmum esse
"statuit, quo commoti presbyteris obediire deberent? Num
"igitur, quum Christi Apostolis tale in ecclesia jus tri-

„ buat, idcirco iis sibi privam propriamque auctoritatem
„ denegat? Apostoli quidem semper cum Christo una
„ nominati sunt in epistola, quae tamen ecclesiastici re-
„ giminis institutionem multo magis ad V. T. refert, vid.
„ cap. XLII. (Jesiae cap. LX, vs 17.) Et hanc Apo-
„ stolorum auctoritatem debebat exponere et defendere
„ auctor noster, ob lites Corinthiacas, quae eorum insti-
„ tutionem infregerant. Sed minime inde sequitur, Apo-
„ stolorum jus illam institutionem fundandi tum impu-
„ gnatum fuisse. Nam lis de illa re non erat, sed potius
„ de perpetuitate munieris et successione, ut patet ex
„ capite XLIV; unde etiam aperte appareat, Apostolorum
„ auctoritatem tum dubiam non fuisse, quia epistola
„ nostra eam ibi tanquam certam ponit. Etenim tantum-
„ modo dicit, Apostolos omnia quae ad ecclesiae munera
„ attinent instituisse, vid. omnino caput XLIV, ubi certe
„ totam hanc rem ab iis pependisse videmus. Praefecto-
„ rum igitur a Corinthiis expulsio munieris perpetuitatem,
„ minime ejus justam institutionem, infringebat. Nec
„ melius a Schenkelio litium interna causa explicata
„ est. Putat enim ad Christi *ipsius* fidem eos confu-
„ gisse, ad Apostolos deprimendos. Sed ubi appareat hocce
„ in scripto talis ansa litium? Capitis XVI dictum:
„ Christus eorum est qui sibi non arroganter place-
„ ant” minime de Christi auctoritate agit, sed probat
„ tantum superbiam et animi elationem litium radicem
„ fuisse. Quod etiam ex capitibus XXXV et XXXVI
„ manifeste appareat. Quod tandem ad locum clarum attinet
„ capitis XLVI: „*η οὐχὶ ἐνα τεὸν ἔχομεν καὶ ἐνα χριστὸν*
„ etc.,” multo majore jure contra Schenkelium nos eo
„ uti possumus, quam ille pro sua sententia. Omnino cum

“eo credimus, omnium in Christo vocatorum fidelium
“unitatem hoc loco nos doceri, quae igitur sententia ab
“auctore dissentientibus opponitur: sed minime cum
“Schenkelio illis ex verbis hanc sententiam in Co-
“rinthiaca ecclesia viguisse concludimus, quia plane con-
“traria inde sequitur litium ansa. Nempe verbis illis
“fundamentum fidei tamquam ab omnibus Christianis
“idem cognitum et agnatum esse, se credere auctor os-
“tendit. Quare igitur, jure rogat, practice a vobis
“unitas illa denegatur? Quod sane dicere non potuisset,
“si de illa unitate theoretica quaestio fuisset apud Co-
“rinthios. Verba tandem “ἢ οὐχι” assensionem non du-
“biam poseunt. Lites igitur non ad doctrinam, sed ad
“vitam christianam spectabant.”

Hucusque Hilgenfeldius, cuius pulcrae disputati-
oni assentimur. Ac pauca tantum addenda habemus,
quae rem acute ab eo tractatam magis etiam illustrent.
Quomodo e. g. ex capite XLII ad Christum referen-
dum esse presbyterorum institutum appareat, quod Schen-
kelius § 63 l. l. affirmat? Nihil amplius, quam ab
Apostolis institutos eos esse, ex eo loco effici potest;
neque ibi de Christi jussu verbum invenitur. Vir D.
§ 61 nimis ursit seditiosorum Corinthiorum orationis
arrogantiam, quia arrogantiae gradum altissimum in lin-
guae superbia ponit, atque in ea causam gravissimae litis
quaerit. S. § 62 dicit se non videre, nisi suam senten-
tiam de litibus admittamus, quaenam alia causa litium
possit inveniri in epistola nostra, quia successio non
posset esse, ut ibi recte ostendit. Respondeo: tota epi-
stolae pars prior aliam illam causam clare explicat. Et
thema epistolae universum luculenter, me judice, illam

causam manifestat. Vid. § 4 hujus capit. Exempla ex V. T. permulta sumta sunt in epistola, raro tantum Christi verba citantur, auctori traditione saltem nota; quare sic? Num vim haberent apud eos, qui omnia ad Christum referre vellent? Quid etiam est, quod Dei supremam auctoritatem tantopere urgeat epistola, si contra eos, qui Christum solum sequebantur, melius Christi auctoritate uti posset? Tandem, Pauli auctoritatem et ceterorum Apostolorum ab iis agnitam ponit certo certius ep. n., vidd. e. g. capita XLVII, XLII et XLIV; hoc num fecisset, si a lectoribus hac de re dissentiret? Num valeret Apostolorum auctoritas, si Christo soli crederent? Jam satis. Minime Schenkelii opinionem ab ep. n. confirmatam invenio, sed plane opposita hic illic in eâ tradita est sententia. Nunc ad postremam, quam memorare volo, sententiam transeamus.

§ 3. Hilgenfeld pag. 78 seq. l. l. ita suam opinionem exponit: "Pauci elati homines ecclesiae turbarunt pacem, quorum superbia princeps vitium et seditionis causa erat: Cap. XVI. Eorum vana eloquentiae jactatio capp. XXI et XXX invenitur memorata, nempe *λόγοις* in primis gloriabantur. Orationis igitur vana gloria efflati erant, vid. cap. XXXVIII: ὁ σοφός etc. Sic omnia demonstrant opinatam illam sapientiam, cuius elatio orationis argumento et forma cerneretur, tamquam primariam Corinthiacarum litium causam ab auctore informari. Ubi vero terrarum talis *sapientia obscura* potius exspectanda, quam in ea classicae Graeciae urbe tam insigni tantisque divitiis affluente? Capita XXXVIII et XXXIX haec confirmant; ubi nempe *fortes* classicis et hellenisticis studiis exculti sunt et

"etiam ascetismus rigidior cum coelibatu conjunctus
"eorum gloriam continere videtur. Uno verbo, animi
"elatio variis apparebat formis induita; atque modestiae
"christianae acriter reluctabatur. Quae etiam apparent
"ex capite XLVIII. Tres igitur primariae causae in-
"ternae litium aderant, quarum quaeque superbiae variam
"formam habebat. Prima *γνώσεως* expositione (Cap. XL)
"constabat, quam collatis Pauli ad Cor. ep. I cap. VIII,
"vs 1 seq., cap. XII vs 8, cap. XIV vs 6, atque Bar-
"nabae epistola, explicamus N. T. ejusque historiae su-
"blimiorum intelligentiam. Secunda *τῶν λόγων διαχροτοῖ*
"continebatur, fanatici religiosi characterem saltem fe-
"rente. Tertia, sec. cap. XXXVIII, nihil aliud erat quam
"sanctitas externa, quae operibus bonis se manifestat.
"Jam quaeri potest, utrum tres diversae ejusdem vitii
"hae partes essent, an formae tantum varietate distinc-
"tiae? Piores duae sectae facile junctae esse potuerunt
"apud Corinthios, quia utraque pertinet ad intellectuale
"religionis caput et theoriam. Ambae apte conjunctae
"sunt in sapientiae tenebris, quae oratione se jactare
"vult, atque verosimiliter in seditionis auctoribus si-
"mul aderant. Et quod ad tertiam sectam superborum,
"qui operibus sanctis gloriabantur, quamquam capitibus
"XXX et XXXVIII in sapientiam, quae in verbis
"solis habetur, invehitur epistola, potest fieri, ut opera
"ea minime verae sapientiae, quae ex fide justificante
"oriuntur, essent: nempe amore et modestia se manifes-
"tans sanctitas. Sic potuit tertia etiam cum aliis juncta
"esse quod ad fontem superbiae, et auctor variis locis
"formas varias rei ejusdem increpare. Eadem igitur vita
"jam Paulus in I ep. sua ad Cor. vituperarat, ultimum

„casum cap. XIII ibidem clare ante oculos habens. Sic in primis litium Pauli et ep. n. tempore cognatio hanc sententiam confirmat. Eadem ecclesia potest cognosci ex utraque epistola, si rite intelliguntur, quae nunc porro pag. 81 et 82 Vir. Clar. exponit.”

Sic accurate et docte sententiam suam exposuit Hilgenfeldius, cuius non laudare non possum summum acumen, quo omnia haec exposuit, et diversas seditionis causas conjunxit easdemque distinxit, omnesque superbiae formas, hocce in scripto proditas, invenit et docte collegit, ad unum redegit, atque sic totam rem facilius explicavit. Nec tamen cum Hilgenfeldio, qui multis in rebus ad epistolam intelligendam me adjuvit, in toto ejus argumento definiendo consentio. Neque simplicitatem, quae in eâ apparet, contemnens, ex quibusdam phrasibus philosophicas argutias petere possum, quae minime insunt. Me quidem judice, acutius quam verius Hilgenfeldii opinio in epistola praesidium sibi quaerit. Et quod attinet ad crimen hypotheticae explicationis, cuius Schenkelium accusat, nonne ipse Hilgenfeldius hypothesi de γλωσσολαλίᾳ et πνευματολογίᾳ ad omnia fere eo referenda abutitur, atque ea etiam, quae non nisi coacta ratione ita explicari possunt? A quibus incipit, ea vera existimo, praeterquam quod pag. 78 in fine verba, quae cap. XV initium continent, nimis presse ad peculiarem Corinthiorum casum refert; ubi tantummodo generalis est admonitio practica de sinceritate in omnibus rebus, ut patet ex exemplis, quibus sententiam probat auctor. Sed quod ad sequentia, non video, talem inter diversa capita nexus, qualem in explicandis effatis quibusdam assumxit. Neque enim ἀλαζονεῖα τοῦ λόγου

cap. XXI cum justificatione solis ex verbis cap. XXX conjugenda est. Nec nexus alias est, quam quod in utroque capite de λόγοις sermo est. Caput XXI de stultis, linguae vana gloria se efferentibus, dicit tantummodo, tales non mereri, ut eos sequamur, quos potius offendamus, quam Deum. Ibi postea multa alia vitia memorantur, quorum unum est quod h̄c reprehenditur. Capite XXX operibus, non verbis justificari homines docemur, quid ibi saltem de λόγοις? Ibi universe oppositio contra opera significatur. 'O λόγος et λόγοι etiam minime idem sunt. Tandem tales adhortationes non ad partium studiosos solos debent referri, saltem illa, quae capite XXX, quia multae generales practicae adhortationes in epistola inveniuntur. Capitis XXX verba de quibus egimus nihil aliud sibi volunt, quam hoc, ut Corinthii se justificarent omnibus virtutibus memoratis (eodem in capite), i. e. ut sincere se converterent, non solum labiis, sed etiam corde, id quod operibus demonstrare deberent. Verbum δικαιούμενοι enim h. l. non *Paulino sensu* sumendum est, sed significat: *se bonum praebere coram Deo*. Sic igitur contextus docet minime de λόγῳ gloria hic agi, quia vera conversio simulatae opponitur. Quid quod haec locorum conjunctio intima, si vel adasset, nihil aliud probaret, quam quod ex cap. XXI solo effici potest, fuisse Corinthi eo tempore eloquentia elatos homines. Capitis XXXVIII verba ὁ σοφὸς ἐνδεικνύσθω etc. Hilgenfeldio videntur argumentum praebere pro eadem re. Enimvero in illo capite sermo est de bona ecclesiae conditione, quae ordine tantum et subjectione civium mutua inter se florere potest. Jam vero dicit epistola sapientem in ecclesia sapientiam suam non solis verbis

demonstrare debere, sed factis etiam bonis, quae ecclesiae inserviunt, quia alioqui vana talis esset sapientia, quae inanibus loquendi formulis consisteret, quae neque sapienti ipsi, neque ecclesiae Christi prodesset ulla in re. Minime igitur et h. l. *λόγοι* tam difficultem ac longe quaesitam significationem requirunt, in primis quia in hoc etiam capite epistolae thema manifeste appareat, quod ad ecclesiae statum nunc applicatur: modestiae nempe cohortatio contra omnes superbiae, etiam verbis non raro se ostendentis, formas. Post haec argumenta allata, de quorum vi vidimus, Hilgenfeldius dicit apodictice: sic omnia sapientiam quandam indicant, cuius elatio in orationis forma et indole aperta fit. Quo jure ita concludat, non video; nec quomodo potuerit addere, talem sapientiam fuisse fontem primarium Corinthiacarum litium. Haec enim, credo, una accurata lectione epistolae ab eo, qui a praejudicata opinione quadam liber sit, facile refutabuntur. Quod attinet ad argumentum e classica Corinthiorum indole, talem sapientiae elationem pa- riente, mera sine dubio haec est hypothesis, et mira quidem, quae nititur falsa opinione de Graecorum indole. Et si Graecorum fere cultissimi Corinthii fuissent (qua de re dubitare licet), num tales illi, prae vera sapientia philosophica, inanem *τῶν λόγων* elationem et ostentationem elegissent? Porro capita XXXVIII et XXXIX dialectice explicare studuit Hilgenfeldius, quae practice dicta sunt. Nam capit is XXXVIII initium comparationem corporis humani cum Christi corpore i. e. ecclesia instituit. Quam igitur sic applicat: minima nostra membra serviunt toti corpori, aequae ac magna, quia cum iis con- spirant. Haud aliter sit oportet in ecclesia Christi: fortis

ne negligat imbecillem, neve hic illum non aestimet. His quidem in verbis hanc Hilgenfeldius quaerit sententiam: homo, qui classico et hellenistico cultu eruditus est, ne simplicem Christianum offendat. Sed nemo ei assentiet, praeter interpretem, qui hypothesi ductus verba inepte premit et urget. Nam in verbis claris ἀγνῶς εὐ τῇ σαρκὶ minime simplicem sensum vidit Hilgenfeldius, sed ascetismum cum coelibatu conjunctum: quae tamen verba nihil aliud indicant, quam totum ep thema, quia sententiae vis verbis μὴ ἀλλαζούσεσθω inest; et hoc sibi vult tota admonitio: ne homo, qui continentia insignis est, ejus fructum amittat gloriando. Quod attinet porro ad caput XXXIX, non video etiam ibi aliam rem ab auctore reprehensam, quam superbiam, et contra vitium illud modestiam laudatam esse tamquam remedium optimum. Sed V. D. exegesin capitis etiam XLVIII videamus, quod manifeste ei confirmare videtur, quae posuit de litium origine. Mihi autem e contextū sic explicanda videntur verba: οἵτω τις πιστός etc. Christus est justitiae porta, per quam omnes ad salutem intrare debent; virtutes, quibus gloriari possint homines, nihil juvant, nisi eas ornet modestia: nam quanto maiores simus, tanto modestiores debemus esse. Enumeratio igitur omnium rerum, quibus elati erant Corinthii, veram suam vim accipit a verbo sequenti opposito τεπεινοφρουεῖν, quo clare indoles opinatarum earum virtutum indicatur, nempe per se quidem bonarum, sed quae per ostentationem perversae factae sint. An fides et cognitio Christiana et sapientia et castitas magnae sint virtutes, quis dubitet? Verumtamen vitiis eas contaminare non licet, de quibus antea sermo fuit. Tandem tres modos superbiae Corinthi

vigentis Hilg. ex his omnibus colligit, in quibus γνώσεως expositionem primam ponit; sed unde hoc petiit? Ex capite XL, ubi Paulinum effatum laudatur βάθη τῆς γνώσεως θεοῦ (Rom. II, vs. 33). Quae vero verba nihil aliud spectant, quam institutionem nobis per Deum de se et sua voluntate datam, ac nihil speciale de γνώσει, fidei simplici opposita, continent. De voce eadem capite XLVIII usurpata supra vidimus. Nam Christianum hominem posse cognitionis suae divinae rationem dare et cum aliis eam communicare, num id eo sensu, quo Hilg. vult, dictum esse potest? Nihil porro in epistola mihi occurrit, quod cum Paulinis locis a V. D. comparatis conveniat, neque profundiorem N. T. explicacionem usquam in ea inveni. Duorum posteriorum modorum sine ullo dubio vestigia in epistola inveniuntur. Veritatem hanc igitur continent, ubivis sane cognitam, animo elatos et superbos omnes homines duabus rebus gloriari: verbis et factis. Sic et in Corinthiaca fiebat ecclesia; quid mirum? Et quod ad utriusque rei conjunctionem attinet, facile credimus eam intercedere potuisse. Sed ex epistola aliud quid, nempe pneumatologiam et asceticismum, sequi non credimus; neque enim Hilg. locos citavit, unde ea omnia jure efficeret. Universe vero mihi videtur, aequa ac Schenkelius, simplicitatem epistolae summam neglexisse, atque dogmaticam vim et profunditatem ibi quaesivisse, ubi practica indoles tantummodo, admonitiones contra vitia et adhortationes morales ad vitam Christianam spectandae erant. Consilium enim totum auctoris erat litium, per seditionem contra presbyteros quos fugaverunt ortarum, sedatio; hisce finem imponere ac Corinthi pacem restituere, ecce quod cu-

piebat. Atque hoc minime per dogmaticas disquisitiones, sed per argumenta moralia efficere poterat, quod et epistolae argumentum nobis ostendit. Principia quaedam speculativa quasi-philosophica in epistola quaesivit V. D., quae primo post Christum seculo rara inter Christianos fuerint, et igitur posterius scribendi tempus probent. Sed talia non insunt, me judice, neque alias quis talia ex ea effici posse concessit Viro Docto. Sed etiam unitatem epistolae, quod ad consilium et argumentum, sua hypothesi neglexit Hilgenfeldius, quae tamen luce clarius inde patere mihi videtur. Iterum iterumque nostram epistolam cum Pauli I ad Cor. ep. comparat, sed; quae Paulum insignem reddidit, ingenii vis et animi profunditas atque cogitandi sublimitas, ea minime apud nostrum auctorem invenitur, in quo Christianus, vere religiosus, animus ubivis elucet, sine ulla tamen philosophica subtilitate. Illud utrum fecerit V. D., quia multa ex Pauli ad Cor. epp. citaverit et imitatus sit auctor noster, an quia lites Paulini temporis nondum sopitas habeat tempore, quo hanc epistolam Corinthum misit ecclesia Romana, nescio; sed minime iis assentiri possum, quae pag. 81 seq. de similitudine dicit inter Christianos a Paulo vituperatos, sed et laudatos ob accepta spiritus dona, et eos, quos ep. n. admonet, quia talia apud Paulum quidem, non vero hac in epistola invenio. Quae de capitinis XXXV initio pag. 80 dicit, cum explicatione earum rerum pag. 67 pugnant; nam pag. 80 verba convertit ad hanc vitam, quae l. l. ad futurum aevum refert. Sic etiam pulera possent esse, quae de operibus vere bonis, quamquam per principium minime sanctis, dicit pag. 80 media, sed quo ducunt

haec? Nullo loco tale illud dogma tum nondum notum epistola propugnat; et illo modo rei cardo ex oculis evanescit, qui per totam ep. clare elucet. Et tandem, ut concludam de hac opinione Hilg. dicenda, quomodo ea, quae dicit de seditiosorum Corinthiorum γνώσει et λόγοις cum iis locis conciliabuntur, ubi eos auctor capite III ἀτίμους, ἄφρονας, ἀδέξους et νέους vocat?

§ 4. Sic dijudicatis praecipuis sententiis, quibuscum non plane consentire possum, meam ipse sententiam de litium Corinthiacarum causa sive de scriptae epistolae opportunitate explicabo. Qua in re, quo certius de disputationis veritate constet, quantumpote ep. ipsius verbis uti cupio. Capita igitur singula legamus accurate, quae nobis suppeditabunt omnia quae ad litium historiam pertinent. Capite jam primo auctor loquitur de πράγμασι παρ' ὑμῖν ἐπιχυτουμένοις, nempe de rebus, de quibus adhuc apud Corinthios disceptabatur, quae ipsam scribendi causam continent, nam contextus clare id docet. Sed per se ea verba nihil nobis prodessent, nisi haec sequerentur: "τὰς τε ἀλλοτρίας καὶ ξένης τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ θεοῦ, μιαρᾶς καὶ ἀνοσού στάσεως, ἢν δλίγα πρότωπα προπετῆ καὶ αὐθάδη ὑπάρχοντα εἰς τοσοῦτον ἀπονοτας ἐξέπαυσται, ut semper honoratum et illustre nomen Corinthiorum gravi ignominia afficeretur." Quae verba nobis totius rei quasi conspectum dant, quia et seditionis indolem et auctores primos et effectum miserabilem, quin etiam internam causam aperte manifestant. Nam inde apparet, seditionem contra Dei voluntatem et vero Dei cultui adversam fuisse; porro per paucos homines temerarios ortam fuisse. Quae lis non brevi aliquo tempore saevire desuit, sed in sumnum insolentiae gradum progressa

est, ita ut talia ibi facta sint, quae bonum eorum nomen inquinarent, quamvis optima fama celebratum. Sic prima disputationis elementa cap. I continet nobis suppeditat, quod porro, aequo ac II caput, pristinam Corinthiorum laudem praedicat. Caput III sic quaestionem persequitur, ut causam significare incipiat magnae, quae Corinthi exstiterat, mutationis, nempe transitus a virtutibus nobilissimis ad rebellionem contra Deum. Πᾶσα δόξα καὶ πλευτυμὸς data erant vobis, et in vobis impletum est id, quod scriptum est (Deuter. XXXII, vs. 15): Edit et bibit et dilatatus est et incrassatus et recalcitravit dilectus. Sine dubio non ita facile explicandus locus, cuius tamen universa significatio haec videtur esse: omnium rerum corporis et animi abundantia vobis, Corinthiis, fuit a Deo data, sed, divitiis ornati et spiritus dotibus, Deo tam benefico adversati estis, quia luxuria crassi facti et opulentia corrupti estis, et, ut tunc fieri solet, petulantes et procaces vos ipsos extulistis. Ex τούτου (i. e. ex hoc fonte) ζῆλος, καὶ φόνος, καὶ ἔρις καὶ στάσις, διωγμὸς καὶ ἀκαταστασία, πόλεμος καὶ αἰχμαλωσία emanarunt. Ecce sequelas, quas statim memorata ex causa exstitisse dicit auctor, quae nobis imaginem praebent ecclesiae eo tempore Corinthiorum. Nec verò opus est omnia illa proxime ad Corinthios referre. Qua de re dubios nos relinquit auctor, quia verbum omissum est, et sequentia, ubi diserte casus ipse Corinthiacus memoratur, per σύτως junguntur, quod potest significare vel tali modo vel hoc uno modo. Aperte autem id quod quaerimus declarat hoc dictum: σύτως ἐπηγέρθησαν οἱ ἄδοξοι ἐπὶ τοὺς ἐνδόξους, οἱ ἄφρονες ἐπὶ τοὺς φρονίμους, οἱ νέοι ἐπὶ τοὺς πρεσβυτέρους. Nunc enim, quum seditionem

fuisse Corinthi patet, tum etiam quorum et contra quos. Quod ad vocem *πρεσβυτέρους* h. l. attinet, non ecclesiae munere ornatos significari puto, sed, propter oppositam vocem *νέοις*, natu majores hic verto. Capite III porro descriptio exstat seditionis sequelarum: justitia et pax abierunt, timor Dei non amplius adest, fides labitur, Dei instituta et praecepta negliguntur; verbo: secundum pravas quisque suas concupiscentias vitam agit. Ζῆλον injustum et impium secuti estis, per quem prima (Abeli) mors in mundum venit. Cujus ζῆλον porro capita IV, V et VI exempla tradunt ex V. et N. T. petita. Capp. VII—XXII universe de virtutibus agunt, quas tamquam antidotum ζῆλον commendat; ex quibus laudatis virtutibus quae vitia fuerint opposita concludere jure possumus. Cap. IX: ἀπολιπόντες τὴν ματαιόπονταν, τὴν τε ἔριν καὶ τὸ εἰς θάνατον ἄγον ζῆλος, idem fere affirmat; ubi ματαιόποντα de vanis et inanibus, Deo igitur non gratis, operibus usurpatum est, cui opposita erat vera conversio, poenitentia et ex fidei sincera derivata opera. Idem quod vidimus de seditiosis dicitur in initio capituli XIV; et cap. XV de pacis amore ut necessario agit universe. Cap. XXI etiam sic vocantur litium autores: ἀφρονες, ἀνόητοι ἐπαιρόμενοι, ἐγκαυχώμενοι ἐν ἀλαζόνεια τοῦ λόγου, quae sane antea dicta confirmant. Capp. XXII—XXX, quae agunt de gratia divina, nihil de litium, ut ex re ipsa patet, causa habent. Sequentia vero, quae de via salutis christiana agunt, hic illic sunt consulenda; veluti cap. XXX vitia memorat, quae epistola severe reprehendit, quae omnia ζῆλον quasi modi sunt. Idem autem caput modestiam laudat, I ep. Petri cap. V, vs. 5 citans. Vid. in primis hujus capitulis finis.

Cap. XXXIV in fine etiam ad ὄμονοιαν adhortatur: καὶ
ἥμεταις οὖν etc. Capitis XXXV initio in virtutibus quae
quaerendae, et in vitiis, quae fugienda sunt, ea sunt,
quae dilucide ad casum Corinthiorum referantur: παρθη-
σία, πεποίησις, quae opposita sunt his vitiis: ὑπερηφανία,
ἀλλαξιόνεια etc., quae postea vituperat auctor, ep. Pauli
ad Rom. imitans.

Capp. XXXVII et XXXVIII, ubi corpus Christi
cum corpore humano et ecclesia cum exercitu compara-
tur, justae obedientiae lex tamquam summa commenda-
tur, cui nempe opposita erat agendi ratio apud Corin-
thios eo tempore usitata.

Ex his capp. efficere licet, quae Corinthiis maxime
deessent. Cap. XXXIX etiam initium rem de qua agi-
mus tradit accuratius, ubi memorantur ἀφρονες καὶ ἀσύν-
ετοι καὶ μωροὶ καὶ ἀπαλθευτοι — ἐκυτοὺς βουλόμενοι ἐπαι-
ρεσθαι. Ex capp. XL—XLII tantum sequitur, necessari-
um putasse auctorem, admonere eos ad τάξιν in religi-
one ejusque ritibus omnibus in primis observandam,
ad quem ordinem commendandum Judaici cultus exem-
pli utitur. In quibus maxime consilium habuit Dei
haec jubantis voluntatem tamquam summam legem Co-
rinthiis proponendi. Cap. XLII de institutis episcopis
et diaconis agens, qualem ordinem in ecclesia Christi
bonum esse et quale regimen necessarium censeret indi-
cat. Cujus rei exemplum cap. XLIII Moisem laudat.
Porro cap. XLIV ex historia talem constitutionem, ab
Apostolis profectam, nunc etiam requiri demonstrat. Quae
omnia, de quibus § 1 hujus capitinis accuratius vidimus,
universe ea docent, quae sequentia ad Corinthiorum *sin-*
gularem conditionem referunt. Nempe cap. XLV et

deinceps a litibus dehortari incipit, quod contentiosi essent eos reprehendens atque invidia et ambitione incensi. Ad Scripturas Sacras consulendas eos admonet, quae exempla contraria contineant, nempe pios ab impiis tantum vexatos esse, ut Danielem cum tribus juvenibus ab Assyriis. Quod vos facitis, inquit, contrarium est; nam nunc vos, qui Christiani estis, et quos igitur majore pietate insignes esse deceret, legitimos vestros ecclesiasticos praefectos dejecistis, et sic contra ecclesiae commodum et proximorum salutem egistis. Cap. XLVI in primis nostrae sententiae favent verba: *νύξ τις ἔρεις* etc., quibus in saevientem Corinthi discordiam vehementer invehitur, cuius dissidii sequelas miseras pingit in fine capit. Sequens caput tantummodo hoc magis dilucidum reddit oppositione litium, Pauli tempore et ep. n. tempore agitatarum. Apostolorum causa litem agere non tantum peccatum erat, quantum unius aut duorum talium virorum causa presbyteros probos e munere dejicere, cuius rei fama ad Romanam ecclesiam non solum, sed etiam ad ethnicos jam venerat. Verba: *νυνὶ δὲ, τίνες υμᾶς διέστρεψαν* etc., cum contemtu dicta de indole, quam jam cognovimus, seditiosorum, majorem lucem rei addunt; in primis quae sequuntur: *αἰσχρὰ, καὶ λίαν αἰσχρὰ ἀκούεσθαι* etc. Cap. XLVIII urget necessitatem talia tollendi ex eorum coetu, et remedia adhibenda suadet; cap. XLIX amorem laudat, litium sane optimum remedium. Quae omnia passim admonitiones ut, sibi non placentes, obedient Deo, adjunctas habent. Cap. L porro ad caritatem adhortatur, quae remissionis nanciscendae est via. Cap. LI de modo in ordinem restituendi ecclesiam agit et de vera poenitentia et peccatorum confessione. Cap. LIV

propius se ad Corinthios vertit, quos potius abire, quam ita ecclesiam pessum dare vult auctor; quam rem cap. seq. ex gentilium exemplis illustrat. Cap. LVI multa continent monita et adhortationes, Corinthiorum casum spectantes. Sic etiam cap. LVII. Litium finem a Deo precatur cap. LVIII.

Ecce rem, de quâ quaerimus, ep. ipsius fere verbis expositam. Facilia sunt explicatu, et in hanc singula conjungi possunt conclusionem et contrahi: Pauci (cap. XLVII) insolentes, arrogantes homines ex plebe (cap. III) contra disciplinam ecclesiasticam motum excitarunt, rebellarunt contra presbyteros (cap. XLVII), quos munere privarunt et ex episcopatu dejecerunt (cap. XLIV). Sic ordo salvularis turbatus erat, concordia erupta, et ecclesiae calamitates secutae. Quibus omnibus rebus finem imponere epistola conatur, quod consilium directe et indirecte persequitur. Cap. XLVIII seditiosos adhortatur ipsos, aequo ac capp. LI, LIV, LVI et LVII, ad revertendum in bonam viam. Sed permultis aliis locis ad pacem et ordinem et concordiam sectandam admonet, ab oppositis vitiis dehortans Corinthios auctor. Haec scribendi opportunitas erat, litium haec est historia. Si porro quaeritur, unde lites ortae essent Corinthi, cap. III seq. ex luxuria et abundantia tamquam primo fonte derivatur ζηλος. Nempe superbia et procacitas, securam sese opinata, cum invidia ac turbulentiae quodam studio juncta, talium malorum interiores causae erant. Sicut, secundum Deuteronomii cap. XXXII vs. 15, populus Israëliticus a Deo beneficiis cumulatus, quae sub imagine pinguitudinis magnae proponuntur, quasi bonorum omnium plenus et tamen ingratus fuit in Deum, Jehovah cultum reli-

quit idolaque veneratus est; — ita summa bona terres-
tria et spiritualia, quibus gaudebant Corinthii, moderate
non tulerunt, ut fieri solet, sed, continentiae obliti ac pros-
peritate elati, Deum bonorum solum fontem spreverunt.
Atque ita fastus et insolentia, ex divitiis orta, interna
fuit mutatae eorum ecclesiae, antea celebris, causa. Al-
ter enim contra alterum se extulit, quo ζῆλος ac φθόνος
alebatur. Qui in honore maximo erant, episcopos et
diaconos, hos ante alios aggressi sunt invidia ducti, ii in
primis qui ipsi nullo honore gaudebant neque coetum
administrare potuissent. Quae omnia multi epistolae loci
confirmant, sed nullo loco quidquam invenio de demo-
cratico studio, cui omnia Rothius tribuit. Ut jam
diximus, animorum motus semper crescunt, ut fama
eundo, vehementia, ita ut tandem nullo modo coerceri
possit eorum impetus infestus, veluti Corinthi invidia,
prava aemulatio, litium studium saeviebant. (Vid. cap. III).
Tristis haec conditio magis etiam illustratur per sequen-
tia, quae pacem, concordiam, modestiam, Dei timorem
commendant. Quare etiam persaepe ad poenitentiam et
obedientiam, ut viam conversionis, Corinthios adhortatur,
Dei voluntatem omnibus rebus praeferendam esse affir-
mat, ex S. S. exempla virtutum citat, et sec. Paulum
solam per fidem Deo probari hominem ac minime per sua
opera justificari vult auctor. Quae tandem de unitatis
et ordinis et obedientiae ecclesiasticae utilitate dicit,
haec una cum laudatis admonitionibus nobis Corinthiorum
vitia per oppositionem depingunt, et conspectum
quem dedimus plane confirmant. Arrogantium plebis ver-
bis etiam se ostendisse, per se patet, sed minime γνώ-
σεως sive λόγων doctrina quaedam accedebat. Vitiorum,

quae reprehensa invenimus, ad Corinthiorum ecclesiam turbandam effectus miserabiles facile possumus conjicere. Quibus igitur remedia parare conatur auctor, et a litium studio Corinthios sanare. Dei voluntati semper obsequendum esse docet, cuius exemplum homines sequi debent, atque igitur, sicut Deus mundum bene ordinatum creavit, ecclesiam pace contineri. Quare ecclesiam regi necesse est, presbyterosque bonos Corinthii restituant oportet. En generale epistolae idque simplex consilium, quod ubique elucet, atque me judice tam facile est intellectu, ut vix videam, quomodo tam diversae de hac re sententiae esse potuerint.

CAPUT TERTIUM.

VETERIS ET NOVI FOEDERIS IN EPISTOLA USUS.

Maximi sane momenti nobis est accurate disquirere, qualis sit librorum Sacrorum apud auctorem nostrum usus. Nam tempus, quo scripserit, inde potest quodammodo saltem cognosci; quamquam per se rem non conficit hocce argumentum. Quibus nempe libris N. T. utatur epistola, saepe incertum est, quia plures citationes sunt liberae, ex traditione auctori nota haustae; neque eo tempore N. T. Canon exsistebat. De Evangeliorum vel canoniconorum vel apocryphorum et Apostolicarum epistolarum tum ortu tum vero, quo vulgo notae fuerint, tempore adhuc disputatur. Quod ad V. T. attinet, quod et saepissime citat, et ad pietatis exempla Corinthiis commendanda per totam epistolam auctor adhibet; versionem Alexandrinam fere semper usurpavit, ut ex accurata rei expositione patebit. Tum etiam locos quosdam citavit, qui in Canonicis nostris Sacrae Scripturae libris non

inveniuntur, quos vel ex Apocryphis, vel ex perditis libris petiit, vel ex traditione sibi notos libere ad usum suum adhibuit. Ad rem ipsam transeamus, atque prima paragrapho de V. T. locis citatis, secunda de N. T. usu in epistola agamus.

§ 1. A. Veteris Testamenti usus, qui magnam epistolae partem complectitur, fere ad totam moralem doctrinam probandam atque exemplis explicandam inservit. Sed in primis poëticis libris auctor utitur, prophetarum maximam sibi notitiam esse demonstrans. Libere hic illic citantur, atque saepe diversi loci in unum conjunguntur. Duo nobilissimi codices, e quibus Alexandrina versio nobis nota est, in primis ab auctore nostro adhibiti sunt, Vaticanus nempe et Alexandrinus, ut patebit ex hac citationum in epistola serie:

Capite 3 : Deuteron. XXXII vs. 15 libere citavit ep. n. sec. Cod. Vaticanum versionis Alex., cuius certe verba adhibuit, sed ἐπιειν pro ἀνεπλήσθην posuit.

" " 4 : Praeter has exiguae differentias, ejusdem versionis sec. Cod. Vatic., citavit Geneseos cap. IV, vs. 3—8 : vs. 3 τῷ θεῷ pro τῷ κυρίῳ, vs. 4 αὐτοῦ omisit, vs. 6 κύριος omisit ep. n. et αὐτοῦ pro αὐτοῦ citavit. Ceterum Vat. Cod. sequuta est.

" " 4 : Exodi cap. II vs. 14 pro ἀρχοντα κριτὴν habet, ceterum LXX Vat. citavit.

" " 6 : Gen. II : 23 LXX Vat. Cod. versionem adhibuit.

" " 8 : Ezechielis cap. XXXIII vs. 11 libere citavit secundum LXX versionis Cod. Alexandrinum.

- Capite 8 : Jesaiae cap. I vs. 16—20 sec. Cod. Vaticano LXX citavit, praeter vs. 16 λούσασθε pro λύσασθε, ἀφέλεσθε pro ἀφέλετε vs. 18, ubi καὶ adjecit ep. n., et ἔριον pro χίσια habet; unde patet hoc codice usum esse ep. auctorem.
- „ 10 : Geneseos cap. XII vs. 1—3 Vat. LXX citavit; tamen ἐξελθε pro ἀπελθε, καὶ δεῦρο εἰς τὴν γῆν habet versio illa, quacum ceterum convenit.
- „ 10 : Gen. XIII vs. 14—16, praeter ἀναβλέψας pro ἀνάβλεψον et καὶ ante ἵδε, sec. Vat. LXX.
- „ 10 : Gen. XV: 5, 6 pari modo libere ex LXX Vaticano codice adhibuit, particulis quibusdam omissis. (Vid. § 1, n. B de Gen. XV, 6, Rom. IV : 3).
- „ 12 : Josuae cap. II non sec. LXX versionem, sed fortasse vel ex memoria citavit, vel historiam libere ipse narravit.
- „ 13 : Jeremiae cap. IX vs. 23 brevius citat ep. n., quae verbum καυχ. non repetit, ut Vat. LXX.
- „ 13 : Jesaiae cap. LXVI vs. 2 τραῦν in ταπεινὸν, λογία in λογίους mutavit ep. Caetera ex LXX versionis Cod. Vaticano.
- „ 14 : Proverbiorum cap. II vs. 21 cum LXX Cod. Alexandrino convenit, quum Vat. Codex ibi legat: ἐνθεῖς κατασκηνώσουσι γῆν καὶ θσιοι ὑπολειφθήσονται ἐν αὐτῇ.
- „ 14 : Psalmi XXXVII versus 35—37 non plane

sec. LXX citavit ep. n. LXX habent vs. 36 : *καὶ ἐξήτησα αὐτὸν καὶ οὐχ εὑρέθη ὁ τοπὸς αὐτοῦ*, atque vs. 37 finem aliis verbis enuntiant. Attamen LXX in manu habuisse auctorem puto.

Capite 15 : Jesaiae cap. XXIX vs. 13 fere LXX Vat. secuta est ep. n. praeter *τιμᾶ με* pro *τιμῶ σί με*. Vid. § 1 n. B de hoc loco.

" 15 : Psalmi LXII vs. 4 sec. LXX Vat. citavit; aequae ac Psalmi LXXXVIII vs. 36 et 37. Non plane convenit Ps. XXXI vs. 18, in fine differens a Vers. LXX. — Ps. XII : 4—6 ex Cod. Vat. LXX citavit ep.

" 16 : Jesaiae cap. LIII ex LXX versione citavit, modo magis Cod. Vaticanum, modo Alexandrinum magis secuta ep. n., quod ad verba ipsa attinet. Vid. Hilgenfeld, pag. 100, ubi hunc locum accurate disquisivit.

" 16 : Psalmi XXII vs. 6—8 ex LXX Codice Vat. citavit. Vid. § 1 n. B hujus capititis.

" 17 : Gen. XVIII vs. 27 etiam plane cum LXX Cod. Vaticano convenit. Jobi cap. I vs. 4 libere citavit ex LXX, e. g. *πονήρου* in *κακοῦ* mutatum est. Jobi cap. XIV vs. 4—6 magis ex Alex. Cod. LXX citavit: nam Vat. Cod. sic habet: *τίς γὰρ καθ. ἔσται ἀπό βυποῦ; ἀλλ' οὐδεὶς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα*. Etiam capite hoc Exodi cap. III vs. 11 μὲ πέμπεις, ubi Vat. Cod. *πορευ(θή)σομαι*. Exodi IV vs. 10 convenit cum LXX Vat. Codice.

" 18 : Psalmi LXXXIX vs. 20 LXX Vat. sic

habet: εὗρον Δαβὶδ τὸν δούλιόν μου, ἐν ἐλέει
ἀγίῳ ἔχριστα αὐτόν; Alex. C.: ἐλαῖῳ ἀγίῳ μου,
ubi textus Hebraicus habet בְּשָׁמָן קָרְשִׁי;
hac in re ep. n. magis Vat. Cod. secuta
est, quamquam Alex. magis ad litteram
vertit. Sed libere verbo αἰωνίῳ pro ἀγίῳ
usa est. Fortasse ex memoria locum citavit
auctor, alia etiam verba plane mutavit.
Psalmi LI vs. 1—17 cum Cod. Vat. plane
convenit, praeter vs. 15, ubi τὰ χεῖλη et
στόμα in verso ordine habet ¹⁾.

Capite 20: Jobi libri cap. XXXVIII vs. 11 min. sec.
Vat. Cod. LXX citavit, qui sic habet:
μέχρι τούτου ἐλθούσῃ — ἀλλ' ἐν σεαυτῷ συ-
τριβ. τοῦ τὰ κύματα. Sed libere ex memoria
citavit.

" 21 : Proverbiorum cap. XX vs. 27 min. cum
Cod. Vat. LXX convenit, qui habet sic:
Φῶς κυρίου πνοὴ ἀνθρώπων δὲ ἐρευνᾷ ταμεῖα
κοιλίας.

" 22 : Psalmi XXXIV vs. 11—17 convenit cum
LXX Vat., sed vs. 13 verbum σοῦ omissum
est. Ps. XXXII vs. 10 fere idem, sed τοὺς
ἐλπίζοντας pro sing. est.

" 23 : καὶ ἔξαιφνης ἥξει ὁ Κύριος εἰς τὸν ναὸν αὐτοῦ
Maleachi cap. III vs. 1 sec. Cod. Vat. LXX,
qui tamen sic pergit hoc in vs.: καὶ ὁ ἄγγε-
λος τῆς διαθήκης ὃν ὑμεῖς θέλετε. Prima
verba ἥξει καὶ οὐ μὴ χρονιεῖ sec. Cod. Vat.

1) Vid. et. § 1 n. B de h. l.

Habacuci l. cap. II, vs. 3. Sic libera compilatione ex duobis locis V. T., quorum tamen min. verba ipsa accurate citavit. Vid. § 1 n. B de h. l.

Capite 26 : Psalmi III vs. 5 LXX : ὅτι ἀντιληψεται κύριος μου, quae plane aliter habet ep. n. : σὺ μετ' ἐμοῦ εἶ. Jobi l. cap. XIX vs. 26 convenit, nisi quod Cod. Vat. δέρμα legit, ubi ep. n. σάρπα μου.

" 27 : Psalmi XIV vs. 1—3 convenit plane, sed ob sententiam verba quaedam sunt seposita.

" 28 : Psalmi CXXXIX vs. 7—11 aliis verbis sententiam dedit, quam eandem LXX Cod. Vat. vertit.

" 29 : Deuteronom. XXXII vs. 8 et 9: lectio differt inde a verbis κατὰ ἀρ. etc. Vid. Hilg. pag. 64 n. 19. De locorum compilatione in fine hujus capitulis vid. et. Hilg. p. 100 supra, ubi loci nominantur ex quorum collectione libera haec orta citatio.

" 30 : Proverbiorum cap. III vs. 34 sec. LXX Cod. Vat. citavit ep. — Jobi l. cap. XI vs. 2, 3 etiam cum ea convenit praeter vocem καὶ vs. 2 in LXX Vat. omissam, quam ep. n. versam habet¹⁾.

" 32 : Gen. XXII, vs. 17 non cum LXX Vat. convenit²⁾.

1) Vid. § 1, n. B hujus capitulis.

2) Vid. Hilg. pag. 100, ubi ad liberam diversorum locorum compilationem rem refert.

Capite 33 : Gen. I vs. 26 et 27 sec. LXX Vat., sed cum omissionibus quibusdam. Rite citavit Gen. I vs. 28.

" 34 : Compilationem habet ex Jesaiae XL vs. 10 et LXII, vs. 11 (vid. Hilg. pag. 100 supra), Apocal. Joh. XXII vs. 12¹).

" 34 : Danielis cap. VII vs. 10 sec. Vat. Cod. citatus est praeter transposita verba μύριαι et χιλιαι. Jesaiae cap. VI vs. 3 convenit etiam, sed ἡ κτίσις ep. n. habet pro ἡ γῆ Cod. Vat. LXX.

" 35 : Psalmi L, vs. 16—23. (v. Hilg. pag. 101 supra) convenit fere cum LXX Vat. Cod., sed vs. 16 ἐπὶ pro διὰ, vs. 21 ἀνομε pro ἀνομίᾳ σε, quod non habent LXX, aequo ac vs. 22 ὡς λέων, ἦν pro ἦν, ceterum convenit.

" 36 : Psalmi II vs. 7 ex Vat. Cod. citavit ep. n. aequo ac Psalm. CX cum quo convenit.

" 39 : Jobi IV:vs. 16—18 praeter exiguum mutationem convenit cum Cod. Vat. LXX, qui legit ἐναυτίου τοῦ, ubi ep. n. ἐναυτοῦ habet. Jobi cap. XV, vs. 15 ἐνάπιον pro ἐναυτίον. Cap. IV:19—21 non conveniunt: μέχρι in ἔως mutatum; Jobi V cap., vs. 1—5 paucis verbis mutatis citavit ex Vers. LXX Cod. Vat.²).

" 42 : Jesaiae cap. LX vs. 17 LXX Cod. Vat.

1) Vid. n. B hujus paragraphi.

2) Vid. Hilg. pag. 100 infra.

sic vertit: καὶ δῶσω τοὺς ἀρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ, ubi vocem διακόνους saltem ep. n. pro suo loci usu adhibuit libere, prout totum versum mutavit et sec. contextum min. vertit¹⁾.

Capite 46 : Psalmi XVIII vs. 26 et 26 convenit cum LXX Vat. Ps. CXVIII vs. 19 et 20 etiam sec. LXX Vat.

" 50 : Jesaiae cap. XXVI vs. 20 minus accurate et mixtus cum alio textu (Ezech. XXVII vs. 12) citatur; Psalmi XXXII vs. 1 et 2 plane convenit²⁾.

" 52 : Psalmi LXIX vs. 30, 31 et 32 min. sec. LXX Cod. Vat. ep. n. citavit, qui habet sic: αἰνέστω τὸ ὄνομα τ. θ. μου μετὰ ωδῆς, μεγαλυνώ αὐτὸν ἐν αἰνεσιν. Καὶ ἀρέσω τῷ θεῷ ὑπὲρ μόσχου νέον κέρατα ἐκφέροντα καὶ δπλάξ. Ἰδέτωσαν πτωχὸν κ. εὑφρ.. Ps. I, vs. 14 et 15 fere convenit.

" 53 : Deuteronom. IX : 12 seq. LXX Vat. habet: καὶ ἐπ' αὐτ. χάνευμα in fine vs. 12, neque verbum Μωϋσῆ bis in initio vs. repetitum est ibi. Cet. convenit. Exodi XXXII vs. 10. Min. cum LXX convenit ep. n. Exodi XXXII vs. 32 etiam libere citatus est in ep. n.

" 54 : Psalmi XXIV vs. 1 sec. LXX Vat.

" 56 : Ps. CXVIII vs. 18 sec. LXX Vat., quo-

1) Vid. Hilg. pag. 100 supra.

2) Vid. § 1, n. B hujus capituli.

cum etiam convenit Proverbiorum cap. III
vs. 12 praeterquam quod ep. n. παιδεύει
pro ἐλέγχει legit. Ps. CXLV vs. 5 plane
convenit cum LXX Vat. Jobi cap. V vs.
17—26 cum paucis mutationibus sec. LXX
Vat. ¹⁾.

Capite 57 : Proverbiorum cap. I, vs. 23—31 et. fere
convenit cum LXX Cod. Vat.; vs. 27 οὐτὸν
ἔταντος ὑμῖν δλεθρός addit Vat. et vs.
29 λόγον in φόβον mutavit ep. n.

Hi sunt loci V. T. ab auctore citati, quos vidimus
sec. Versionis Septuaginta duos primarios Codices, vel
Alexandrinum vel Vaticanum, praesertim retulisse epi-
stolam, ita quidem ut posteriorem fere semper sequere-
tur. Quae res plane convenit primo saeculo post Chri-
stum, quo tempore V. T. sec. Alex. Versionem et ab
Judeis et a Christianis adhibitum esse ad preelectiones
in Synagogis atque ad religionis institutionem constat.
Quod apparet ex usu V. T. in N. T. Porro exempla
sumta ex V. T. historia libere ab epistola Apostolorum
vestigia sequente adhibentur persaepe. Ad moralia mo-
nita sua probanda semper auctor adhibet V. T. quod
traditioni Christianae anteposuisse videtur. Ceterum
Pentateuchum et Prophetas, praesertim Jesaiam, citavit
per totam epistolam; sed et Jobi et Psalmorum saepe
rationem habuit, quin et hic illic Proverbiorum, quae
cap. LVII τὴν παιάνετον σοφίαν vocat. Hos enim libros
usurpavit ob praestantiam doctrinae moralis, quae epi-
stolae argumento plane conveniebat. Persaepe verbo-

1) Vid. § 1, n. B hujus capituli.

rum liberius sensum ad usum suum convertit; e. g. capite XLII, ubi Jes. LXI, vs. 17 ad Christianorum ecclesiam refert, quem locum ad Israëlitarum praefectos spectare patet.

Quod ad modum citandi attinet, vel praemissâ formula γέγραπται sive τὸ γεγραμμένον (cap. III, IV etc.) vel auctoris orationi innexi loci afferuntur, et ita auctoritatem V. T. summain ab auctore agnitam probant. Quod confirmatur cap. XIII, ubi Jeremiae verba nonnulla Spiritui Sancto; cap. VIII, ubi Deo tribuuntur Ezechielis et Jesaiae vaticinia quaedam. Capite XVI Spiritum Sanctum per Jesiam de Christo loquutum esse legimus; quin et capite XXII in Psalmi XXXIV laudatione Christus dicitur per Spiritum Sanctum nos compellasse. Saepe verba: λέγει δέ ante V. T. citationem invenimus, ubi subjectum θεὸς sive ἦ γραφὴ supplere debemus, quae capp. XXIII, XXXIV et XXV dicitur συνεπιμαρτυρεῖν vel λέγειν. Capite XXXIV formula προλέγει fortasse de prophetica oratione peculiari consilio adhibita est. Deus capite XXXVI Ps. II et CX loquutus esse dicitur. Variis locis variae hae citandi rationes inveniuntur, sed semper sic, ut V. T. divina auctoritas ab auctore ponatur, quod confirmat formula cap. LVI: οὕτως γάρ Φησίν δὲ ἄγιος λόγος, de Psalmorum, Jobi et Proverbiorum libris usitata. Haec autem convenienter plane cum citandi modo in scriptis Apostolicis, et usu V. T., quem a Christo factum in Evangelii invenimus. Quae igitur primo post Christum saeculo ideo scripta fuisse videtur epistola, quia eo tempore scripta Evangelia et epistolae nondum universe notae erant Christianis, qui igitur exempla in primis moralia in V. T. invenire

poterant, de cuius divina origine iis constitisse non dubium est. Cujus temporis notam epistola habet, ubi legem et Prophetas lectoribus semper tamquam de Dei voluntate testimonium edentes laudat, atque ex his primo loco admonitionum auctoritatem petit. Tandem fatendum est, ex Vers. LXX Vaticani Codicis frequenti usu nihil plane de scriptae epistolae tempore effici posse. Nam de hujus Codicis vetustate diversae sunt sententiae, neque facile est ex solo litterarum charactere veram ejus aetatem cognoscere. Vid. Tischendorfii ad editionem V. T. Graece juxta Septuaginta interpretes prolegomena § 6, item de Codicis Alexandrini aetate ibidem § 16. — Attamen versio LXX Christi, Apostolico et postapostolico tempore, in usu sane fuit apud Judaeos et Christianos, vid. Reuss, die Geschichte der H. S. ex ed. altera, § 283 in primis, in cuius tamen fine legimus, Apostolos et eorum successores V. T. tamquam testimonium afferentes Hebraicum textum adiisse, quod persaepe fecisse noster auctor nobis videtur, ubi a LXX Versione discedit, ut plurimis facit locis. Unum tantummodo typologiae exemplum invenitur in epistola, nempe capite XII, ubi Rachabis meretricis funiculus coccineus manifestum reddere dicitur, per Christi sanguinem redemptionem omnibus qui credunt sperandam esse. Quo loco etiam dicit auctor, non solum fidem, sed etiam prophetiam in illa muliere fuisse. Sed solum hoc ibi adest exemplum, neque ita sanum sensum offendit, ut plura in eâ, quae Barnabae tribuitur, epistola, quae seriorem profecto suam prodit aetatem per typologiam, quae primi p. Chr. saeculi simplicitati minime convenit.

B. Nunc videamus de locis, quos epistola citat, qui etiam in N. T. laudati inveniuntur, ex V. T. petitis. Hi transitum nobis faciunt ad § 2 hujus capititis, quae de N. T. usu aget. Sunt pauci illi. Capite X Geneseos cap. XV vs. 6 auctor citat, aequa ac Paulus in ep. ad Romanos, cap. IV vs. 3. Uterque auctor sec. LXX Vat. locum refert, quem Codicem igitur videtur cognitum habuisse et secutus esse et hic et ille. Deinde cap. XIII invenimus citatum ex Jeremiae vaticiniis cap. IX, vs. 24, quocum plane Paulus convenit in priore ep. ad Corinthios, cap. I, vs. 31 et cap. X, vs. 17 ep. posterioris ad Cor. Verba illa sunt: ὁ καυχάμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω. LXX Versio sec. Vat. Codicem ibi legit: ἀλλ' ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχάμενος συνιεῖν καὶ γινώσκειν ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος etc. Uterque igitur, auctor noster et Paulus, alio ex fonte, quam ex LXX, haec verba sic retulit, ex Hebraico fortasse textu ipso petens. Attamen novit saltem ad Corinthios scriptam a Paulo Apostolo priorem epistolam; nonne ex ea petere potuit hunc locum, quem ita libere interpretatus est? Non credo, propter ea, quae sequuntur τοῦ ἐκζητεῖν αὐτὸν καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην, quae, quod ad ultima certe verba, cum LXX Versione plane convenient. Capite XV invenimus Jesaiae locum, quem et. Matthaei et Marci Evangelia nobis praebent, capititis XXIX nempe vs. 13, quem in LXX Vat. legimus ita: ἐν τοῖς χειλεσιν αὐτῶν τιμῶσι με, ή δέ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. Marci cap. VII vs. 6 plane sic, praeter *τιμᾶ* pro plurali. Matthaei cap. XV vs. 8 accurate cum Marci citatione convenit, ambo igitur Evangelia cum LXX Vat. — Epistola aliter

citat loci finem: ἀπειστιν ἀπ' ἐμοῦ, neque hic video ullam in citandi modo cum N. T. similitudinem, ut Hilg. pag. 103 med. ponere videtur, qui male versus ejus in Evangeliiis formam nostro auctori notam fuisse suspicatur.

Caput XVI Psalmi XXII vs. 8 citat, quem etiam in Evangelio Mattheai cap. XXVII vs. 43 invenimus, ubi tamen longe alio modo sic legimus: πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεὸν, βιστάσθω νῦν αὐτὸν εἰ θέλει αὐτόν. Auctor enim cum LXX Vat. sic legit: ἡλπίσεν ἐπὶ Κύριον, βιστάσθω αὐτὸν, σωσάτω αὐτὸν, ὅτι θέλει αὐτόν. Hac in citatione saltem Evangelii Mattheai rationem habuisse non videtur.

Cap. XVIII invenimus locum ex I Samuelis libri cap. XIII vs. 14, quem etiam eitant Apostolorum Acta cap. XIII vs. 22: sed, et apud auctorem et apud Lucam, Septuaginta virorum versio non accurate laudata. Sed et locus ipse copulatus cum Psalmo LXXXIX vs. 20 h. l. invenitur, quocum tamen in LXX Vat. locus non convenit. Capite XXIII ex Habacuci prophetiarum cap. II vs. 3 invenimus ταχὺ ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ; quem locum Ep. ad Hebraeos sic habet (cap. X vs. 37): δέρχομενος ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ, accurate sec. LXX Vers. Vat. Cod. Hac in re igitur rursus libere epistola citavit locum, quem etiam in usum suum privatum cum alio V. T. loco copulavit, constructionem autem mutavit totam. Capite XXX, sicut Jacobus epistolae cap. IV vs. 6 et Petrus prioris epistolae cap. V vs. 5, plane cum LXX Vat. conveniens, locum citat auctor Prov. III vs. 34. Capite XXXIV, item Apocalypseos Joanneae cap. XXII vs. 12, memoratos locos ex Jesaiae vaticiniis cap. XL vs. 11 et cap. LXII vs. 11 inveni-

mus: sed ambo et Joannes et auctor libere LXX Vat. usurparunt, et duos illos locos in unum contraxerunt dictum¹⁾. Tandem cap. L epistola citat Psalmi XXXII vs. 1 et 2, plane cum LXX Vat. conveniens, quem locum Paulus in ep. ad Rom. cap. IV vs. 7 seq. etiam habet praeter ultima verba οὐδέ ἔστιν etc. Uterque in his sec. Vat. Cod. LXX locum accurate reponit. Cap. LVI ex Proverbiorum libro cap. III vs. 12 locus citatur, quem etiam ep. ad Hebraeos refert cap. XII vs. 6: ὃν γὰρ ἀγαπᾷ κύριος, παιδεύει etc.: quae inter se convenient plane, praeterquam quod LXX Vat. habet ἐλέγχει, ubi auctor et ep. ad Hebraeos παιδεύει. Quod minime mirandum est, quia epistolam illam nostrum auctorem cognovisse videbimus § 2 hujus capituli. Sed utrum Hebraico igitur textu ambo usi sint, an ex ep. ad Hebr. auctor petiverit locum, non facile dixerim.

Ex his locis, de quibus egimus, quidquam de scriptae epistolae tempore effici posse non credo: quia ubique fere incertum est, utrum Hebraicum textum ipsum viderit et verterit auctor, ubi ab Alexandrina versione recedit cum Evangelista sive Apostolicis Epistolis, an cum his locos melius, quam fecissent LXX, explicare voluerit. Attamen minime cum Hilgenfeldio consentio, qui pag. 103 media ex cap. XV (vid. supra locus cito) efficit Evangelia tamquam nota et usurpata ab epistola habenda esse, et ex cap. XIII ob Jeremiae citationem auctoris nostri cum Paulinis epistolis ad Corinthios familiaritatem apparere ponit. Quae enim postmodum dicemus, ea confirmabunt nostram sententiam,

1) Vid. Hilg. pag. 100 supra.

minime Evangelia, scripta saltem, auctori in manibus fuisse. Quod enim ad Corinthios Pauli epistolam priorem sine dubio neverit, id quidem ex Capite XLVII scimus; attamen non ideo opus est statuere, ex ea auctorem locos V. T. citatos collegisse vel secundum eam mutasse. Neque ex his omnibus sine ullo dubio effici potest, quomodo in Vers. Alex. usurpanda versatus sit auctor, quia plurimi etiam loci minime cum ea convenient, liberrime citati; sed major numerus locorum verba ipsa Cod. Vat. reddit.

§ 2. N. T. in epistola usus minus saepe invenitur, quam V. T., et raro allata ejus dicta difficilem quaestionem solvere fere non possunt, utrum loci, qui non accurate sunt citati, ex scriptis libris, an secundum traditionem libere et ex memoria adhibiti sint. Primum quidem videamus quibusnam N. T. locis usa sit epistola.

Capite II ἦδιον διδόντες ή λαμβάνοντες cum Actorum Apostolicorum cap. XX vs. 35 fere convenit quod ad verba attinet; ubi sic legimus: dictum Christi est, cuius vos meminisse oportet: Μακάριον ἔστι μᾶλλον διδόναι ή λαμβάνειν. Nullo Evangeliorum loco talia Christi verba inveniuntur, quare noster auctor ea ex traditione et memoria secundum Christi monitum afferre potuit. Sed minime opus est ita verba sumere, quae etiam possunt generale placitum morale continere atque universe accipi. Vid. Hilg. pag. 103 med.

Capite XIII sermo Christi ipsius ab auctore memoratur¹⁾, attamen ex nullo Evangelio canonico accurate petitus, quamquam cum nonnullis Matthaei et Lucae

1) Vid. Hilg. l. l. pag. 104 supra seq.

Evangeliorum locis magnopere convenit. De hac citatione plane diversae sunt V.V. D.D. sententiae. Eam Credner et Reuss minime cum nostris Evangelii usitatis convenire putant; Ritschl tamen ex Matthaei et Lucae locis conglutinatam esse pro certo habet; Hilgenfeld contra ex apocrypho Evangelio e.g. Petri petitam esse opinatur. Accurate locis comparatis, cum V. D. nobis etiam videtur hic locus minime ex Luca vel Matthaeo petitus esse, quia totam, quae ibi exstat, sententiam non satis plene reddit, atque Christi dictum facillime traditione ad auctoris cognitionem pervenire potuit, quod igitur ex memoria et libere ad peculiare suum consilium h. l. adhibet. Ita enim dicere incipit epistola, ut verba sequentia commendare moneat *ἐπιεικεῖαν καὶ μακροθυμίαν*; quo facto ostendit ad peculiare consilium se ea citare. Nonne ea re confirmatur nostra sententia, traditionem citationis fontem fuisse? Sed non tam proprie dicta citatio est, sed morale Christi doctrinae fundamentum potius continet, quod non ex uno dicto, sed ex multis locis simul sumtis atque ex universa ejus doctrina peteretur, quantumpote ex ipsis Magistri verbis constitutum. Nam minime credo auctorem ad speciale suum consilium locos ex Evangelii, de quibus egimus, mutasse, quod primis post Christum temporibus atque in Christi quidem ipsius dicto accidisse non crediderim, quia tum de Christi auctoritate divina persuasio maximam vim habebat, quod et ex aliis epistolae locis manifeste appareat.

Capite XXIII verba inveniuntur: *ταλαιπωροί εἰσιν* etc., in quibus similitudinem quidem cum Jacobi ep. cap. I vs. 8 videmus, ubi sic: *ἀνὴρ διψυχος, ἀκατάστατος ἐν*

etc., nec tamen loci citatio est, quia sensu tantummodo conveniunt. Sic etiam, a verbis inde *οἱ λέγοντες*, sententia, quae inest epistolae Petri secundae cap. III vs. 4, eadem fere est, attamen verba plane alia sunt, atque igitur citatio dici non potest. Idem valet de sequentibus verbis, quibus comparatio fere eadem continetur, quae Matthaei cap. XXIV vs. 32, sed verba et constructio toto coelo differunt, quare non inde haec petiisse mihi videatur epistola. Capite vero XXIV satoris imago ubi adhibetur, ipsa verba, quae Matthaei Evangelii cap. XIII, vs. 3: *ἔξῆλθεν ὁ σπείρων* legimus, exstant, sed non accurate neque vocabula neque res versuum sequentium redduntur. Etiam ad Marci Evangelii cap. IV vs. 3 seq. quidem referri possunt quod ad sensum, sed non totam rem reponunt, neque Lucæ cap. VIII vs. 5 seq. — Capite XXX Proverbiorum cap. III vs. 34 ex Cod. Vat. accurate laudatur; incertum igitur, num Jacobi cap. IV vs. 6 vel 1 Petri cap. V vs. 5 auctori cogniti sint ex traditione vel lectione ipsa. Capite XXXVI ep. ad Hebr. cap. I vs. 7 accurate citatur. Cap. XLIII ex eadem ep. ad Hebr. cap. III vs. 5 reponitur: *Καὶ Μαῦσῆς μὲν πιστὸς ἐν δλῷ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ ὡς θεράπων.* Capite XLVI verba referuntur, quae Christus dixit: *οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἔκεινῳ*, vid. Matthaei cap. XXVI vs. 24, ubi additur: *διὸ οὐ διὸ τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται.* Atque sequentia rursus epistola habet: *καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη*, post quae Matthaeus addidit: *ὁ ἀνθ. ἔκεινος.* Quod ad ea, quae porro in epistola legimus, attinet, vid. Matthaei cap. XVIII vs. 6: *διὸ ἀν τὸν σκανδαλίσῃ ἐνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμέ, συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος δυνικὸς εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ καταποντισθῇ*

ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης, quae quod ad sensum auctor habet, sed plane aliis verbis enuntiata, praeter ultima verba ἡ ἴνα σκανδαλίσῃ τῶν μικρῶν τούτων ἐνα, quae apud Lucam capite XVII vs. 2 inveniuntur, atque ita fere apud auctorem nostrum. Cetera Lucae verba non affert. Hi sunt loci ex Novo Testamento citati, sed persaepe in epistola respiciuntur N. T. loci, qua de re nunç videamus. Salutatio, a qua incipit epistola, magnopere imitata est Pauli in epp. salutationes. E. g. ejus ad Thessalonicenses, Colossenses et Romanos epistolae videantur. Verba, quae saepissime in epistola legimus: *κλητοί*, *ἐκλεκτοί*, *ἄγιοι* de Christianis veris usurpata, evangelicam saltem dictionis rationem produnt, nam in N. T. epistolis ubi vis fere leguntur. Tum cap. II: *ὑποτασσόμενοι*; vid. ad Ephes. V vs. 21 *Ἐταπεινοφρουεῖτε* vid. 1 Petri V vs. 5 *Καὶ τὰ παθήματα* etc. vid. Gal. III vs. 1, ubi rursus redditur sensus. *Πλήρης πν. ἀγ.* *ἐκχυστις* sunt verba, quae nonnumquam in Actis Apostolorum legimus, e. g.: cap. II vs. 17, vs. 18 et 33, X vs. 45. *Πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἔτοιμον εἶναι*, effatum, quod eodem in Cap. II invenitur epistolae, legitur etiam in ep. ad Titum cap. III vs. 1. Quae cap. VII vidimus de Noachi praedicatiōne ad *μετάνοιαν*, etiam in II ep. Petri cap. II vs. 5 habentur, atque etiam verba: *δικαιοσύνης κήρυξ*. Cap. XI Lothi historia invenitur, quae etiam occurrit II Petri II vs. 6—8. Capite XVI: *ξυγδὲ* Christi memoratur, qualia etiam Matth. XI vs. 30 Christus de se dicit. Cap. XXIV: *ἐκ νεκρῶν ἀναστῆσας*, de quibus vid 1. ep. ad Cor. XV vs. 20 et vs. 36, ubi simili ratione de resurrectione loquitur Paulus.
Cap. 29: *ἐπαιρειν χεῖρας ὁσίους* vid. 1 Tim. II vs. 8.

- Cap. 30 : ὁ ἐπανος ἡμ. ἔσται ἐν θεῷ vid. 1 Cor. IV vs. 5.
- " 32 : Chr. τὸ κατὰ σάρκα natus vid. ad Rom. I vs. 2
et IX : 5.
- " 35 : vitiorum series, quae etiam fere sic Rom. I :
29—31.
- " 37 : Chr. ecclesiae cum corpore hum. comparatio:
1 Cor. XII : 12—26 vid.
- " 38 : ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις legitur 1 Petri V vs.
5 et Ephes. V : 21.
- " 40 : πάντα τάξει ποιεῖν δφέιλομεν vid. 1 Cor. XIV :
vs. 40.
- " 40 : τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως legitur in ep. ad
Rom. XI vs. 33.
- " 42 : ἐξεπέμφη etc., vid. omnino Joh. XVII vs. 18
et cap. XX vs. 21.
- " 42 : Verbum δοκιμάζω 1 Tim. III vs. 10 legitur,
idque sic ut hoc loco.
- " 46 : ἦ αὐχὶ ἔνει θ. etc., vid. omnino ep. ad Eph.
cap. IV vs. 4 et 1 Cor. XII : 13.
- " 47 : ὥστε καὶ βλασφημίας etc. vid. Rom. II vs. 24,
1 Tim. cap. VI vs. 1 et Jesaiae LII vs. 6.
- " 48 : de πύλῃ s. Christo vid. Matth. VII vs. 13
et 14.
- " 48 : τοτούτῳ γὰρ μ. etc. vid. Matth. cap. XXIII
vs. 11.
- " 49 : τὸν δεσμόν etc. vid. Coloss. II vs. 14. ἀγ. κα-
λύπτει etc. vid. omnino 1 Petri IV vs. 8 et
Jac. V vs. 20, in quo capite etiam amoris
imago proponitur fere sec. Joannis Evan-
gelii capit. III vs. 16, XV vs. 13, vid. etiam
1 Joh. IV vs. 9.

Tandem capita V et XLVII ostendunt et Acta Apostolorum et ad Corinthios priorem Paulinam epistolam auctorem cognovisse. Caput V, inde a verbis: ὁ Πέτρος διὰ ζῆλον etc. de Petri et Pauli martyriis agit, quae quamquam plura narrant, quam Apostolorum Acta de his habent, tamen minime quod ad locum ac tempus nobis multum lucis praebent. Non constat ex hoc loco, utrum simul mortui sint ambo, an diverso uterque tempore. De loco etiam, ubi Petrus diem supremum obierit, nihil fere epistola dicit, sed de Pauli historia accuratius h. l. egit. Romae Petrus, quod ad hunc locum, martyrium subire potuit. Paulus septies in vincula conjectus ad τέρμα τῆς δύσεως accessit, i. e. Occidentis terminos (Romam) venit, ubi ad ἡγουμένους i. e. *praefectos* ductus, testimonium rei Christianae edidit et mortuus est. De his verbis multum disceptant VV. DD., vid. Hilg. l. l. pag. 108—110, Ritschl et Schenkelius de h. l. — Sed a proposito meo alienum est quaestiones, de quibus disputatur, excutere, atque satis nobis est, scire Paulum, ad Cor. ep. II capit. XI vs. 23—27 et ad Rom. XV vs. 19, jam ita his de rebus egisse, ut Acta Apostolorum auctori in manibus fuisse ex hoc certe loco non constet. Nec etiam quaestiones de verborum ἐπὶ τῷ ἡγουμένῳ significatione, et de secunda Apostoli Pauli in Hispania captivitate attingendas putavi. Sed in primis *epistolam ad Hebraeos* auctor novit, quam saepissime citavit et respexit; atque ex qua exempla permulta eodem ordine et modo petiit. Quod etiam Eusebius jam vidit. At huic quidem rei probandae operam non dabo, quia per totam fere epistolam idem nobis spiritus occurrit, qui in illa. Atque ipsa oratio fere semper, ubi com-

modo id fieri poterat, ad ejus exemplum composita est et ordinata. Vid. Hilg. l. l. pag. 108 supra. Ex quo hujus epistolae usu suspicari quis possit, illam etiam scripsisse nostrum auctorem, ut multi jam ante me putarunt, vid. Ullmann in diario: *Stud. und Kritiken.* Sic jam vidimus quem N. T. usum fecerit epistola, et nunc inde efficiamus, quos ejus libros noverit, et quid inde de scripti aetate concludendum sit, porro quo modo eos citaverit, et quid igitur auctor n. de origine N. T. se sentire ostenderit. De ep. ad Hebraeos sine ullo dubio auctori cognita modo antea vidimus. Priorem Pauli ad Corinthios ep. cognovit sane, vid. cap. XLVII. Quid ibi verbum *πρῶτον* significet, non clarum est (V. D. Hilg. pag. 107 infra vid.) Mihi videtur cum *ἐν ἀρχῇ τ. ε.* conjungendum esse ac vertendum: primo Evangelii tempore. Priorem eum ibi memorasse Pauli ep. docent certo certius verba de sectis Corinthiacis, ex cap. I vs. 10 seq. allata. Neque de altera ep. Pauli auctor loquitur. Haec N. T. scripta novit et adhibuit. Quod ad cetera attinet, verba quaedam similia et dicta non probare possunt, me judice, ea Evangelia vel Epistolas auctori in manibus fuisse. Nam ex capp. XIII, XXIV et XLVI concludere non licet, Evangelia nostra canonica auctorem legisse et citasse, vid. supra. Quod attinet ad Petri et Jacobi epistolas capp. XXIII et XXX non usurpatas, vid. etiam supra. Nec ex cap. V, neque ex cap. XIII effici potest Actorum Apostolicorum usus. Tandem ex salutatione et multis locis et vocibus in epistola, quae etiam in Pauli, Jacobi ac Petri epistolis inveniuntur, non magis quidquam de earum usu concludere nobis licet, quia ex traditione ea omnia ad auctorem nostrum

venire potuerunt. Item ex dicendi ratione universa ejus temporis explicari possunt, quae sine dubio etiam Christianis *Romanis* propria fuit. Nam universe linguae Graecae, quae tum vigebat apud cultos populos, indoles ubivis eadem erat, nec superioris aetatis classican pulcritudinem retinebat, sed ex variis dialectis multa vocabula sumserat, quae etiam in epistola inveniuntur. Quod dilucide exposuit Reuss, *Geschichte der H. S.* § 42—44 de Hellenistica dialecto agens. Cui novae formae una cum novis Christi elementis accesserunt, vid. l. l. § 46 seq. et § 49, ubi indicatur, quare etiam Romana ecclesia tali dialecto usa fuerit. Atque voces igitur peculiares christiana, quos auctor cum N. T. scriptoribus communes habet, nihil aliud demonstrant, quam eadem Apostolica simplici ac spirituali ratione docendi (quod ad verba saltem) usam fuisse epistolam. Quae quidem res majorem ei conciliat auctoritatem, sed tantummodo probat non temere ad recentiorem aetatem referendum esse scriptum. In primis autem ita statuo, quia multa fortasse ex Apocryphis vel perditis scriptis Christianis explicanda sunt. Nunc agendum est de citandi modo, unde de divina N. T. auctoritate quid statuat epistola patebit. Videamus igitur. Cap. XIII μεμνημένοι τῶν λόγων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, οὓς ἐλάλησε διδάσκων etc. sane nobis testimonium pro Jesu div. auctoritate ab auctore agnita praebent, nec tamen ejus de S. S. judicium declarant, quia citandi formula haec ad liberum verborum usum et ad traditionem, unde haec hausta sint, referri potest.

Cap. XXIII, ubi Jacobi et Petri epistolarum verba atque Jesu dicta ab auctore libere adhibentur, sic ea introduceit: πᾶσσα γενέσθω ἀφ' ἡμῶν η γραφὴ αὕτη, ὅπου

λέγει; non talem, qualem V. T. effatorum, h. l. citationem esse, manifeste appareat; ubi nempe ἡ γραφὴ sive γέγραπται dicitur, quae formula de Vet. Test. Sacra Scriptura in usu fuisse videtur. Cap. XXIV, ubi Satoris parabola memorata est, nulla citandi formula usurpatur. Caput XXXVI ex ep. ad Hebraeos ita citat verba: γέγραπται γὰρ οὕτως, ubi igitur formula consueta, sed addito adverbio οὕτως, usurpata est. Cap. XLVI verba: μνήσθητε τῶν λόγων Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, aequo ac cap. XIII (de quo vidimus) potuerunt hauriri ex traditione; in qua tamen Christi Magistri verba, quamvis liberrime allata, agnoscenda sunt. En citandi N. T. rationem, quae longe differt ab ea, qua laudatur V. T.; cuius loci, tanquam summae auctoritatis voces et tamquam Dei ipsius sive Spir. S. effata, ab epistola afferuntur. Et quod ad locos ex Paulinis et catholicis epistolis petitos attinet, quos in commoda sua vertit, si forte ex sola traditione eos auctor noverit, ad nostram quaestionem solvendam nihil prosunt. Neque ex capp. XLII et XLIV mihi videtur apparere, quam Apostolis auctoritatem trtbuerit epistola: nam quod attinet ad constitutionem de ecclesia regenda ab iis factam, ex ea nihil hac de re effici potest. Et cap. XLII Christus (ut ita dicam) *intermedius* proponitur inter Deum mittentem et Apostolos, qui intercedente Christo munus suum acceperint. Cap. XLVII legimus, Paulum μακάριον ἀληθείας πνευματικῶς de litibus Corinthiacis in epistola sua scripsisse; sed neque ex hisce verbis concludi potest quo honoris loco Apostolum habuerit auctor.

Quae omnia multum differunt ab allegandi V. T. modo, e. c. cap. XLV, ubi αἱ γραφαὶ (ex exemplis

patet V. T. significari) dicuntur αἱ ἀληθεῖς φήσεις πνεύματος τοῦ οὐγίου. Sed ex paucis allatis N. T. locis quaestio solvi posse mihi saltem non videtur, quae sane maximi momenti est, quomodo judicaverit auctor de Apostolorum divina auctoritate. Vidd. omnino quae accuratius de hac re disputavit in sua *commentatione de traditione ecclesiastica*, apud *Teylerianam societatem* praemio coronata, Stuffken, Vir clar., inde a pag. 104 seq. ubi fusius tota res tractatur. Atque idem ille V. Cl. pag. 108 seq. summam auctoritatem, tempore Apostolorum et Patrum Apostolicorum, in doctrina fidei Veteris Testamenti fuisse ex eorum scriptis probat. Caput hoc igitur concludere possumus; atque ex disquisitionibus nostris de S. S. usu hoc sequi putamus: V. T. semper fere in manu habuit et tamquam fidei fundamentum posuit auctor, N. T. paucas nonnullas tantum epp. cognovit.

CAPUT QUARTUM.

DE INTEGRITATE EPISTOLAE.

A primis inde temporibus, quibus epistola innotuit, plurimi VV. DD. ejus integritatem in dubium vocarunt. Quorum nonnullos tota epistola offendebat, quae nempe non ubique iis videbatur unius argumenti neque ejusdem esse indolis. Alios pauca capita, quin etiam sententiae paucae vel verba nonnulla ita offenderunt, ut totam epistolam interpolatam censerent. Horum virorum longa series memorata invenitur apud Hefele, libri: *Patrum Apostolicorum opera* ed. 3 prolegomenorum pag. XXXI seqq.; quos omnes igitur h. l. enumerare nihil attinet. Sed singula eorum dubia perpendamus. Jam eodem, quo primum epistola typis mandata est, anno 1633 Bignonio multae in ea res et voces nonnullae displicebant, cujus tamen dubia plurima Hugo Grotius (Vid. Cotelieri *Patrum Apost.* ed. I, tom. I, pag. 133) refutavit in epistola ad eum responsoria. Bignonius universe

quidem epistolam authenticam habebat, sed plures clausulas et voces additas esse credebat, epitheta nonnulla et amplificandi formulas seriorem aetatem et liturgiam prodere censens. Verum Grotius ostendit auctorem Graecitatem suam non plane ex hellenistica dialecto hausisse, sed liberiore dictione uti, neque ita ἐβραϊζειν ut N. T. scriptores, quia classicis auctoribus imbutus esset. Haec et cetera dubia V. D. ita clare solvit, ut ad Grotii epistolam responderet Bignonius, cetera omnia se retractare posse, sed Phoenicis fabulam, quae cap. XXV invenitur, spuriam putare. De hac narratione eo tempore crebro usitata vid. epistolae argumentum. Jam Gerh. Joh. Vossius in libro: *de or. et progr. idolol.* tom. III cap. 99 ostendit, eam fabulam epistolae scriptae tempore vulgari receptam fuisse opinione, neque igitur propter eam solam epistolam spuriam habendam esse. Vid. etiam Hilg. pag. 64 n. 18, qui Taciti *Annalium* cap. VI, 28 affert, ubi fabulosa avis historia plane ita, ut eam ep. n. exponit, anno 34 accidisse narratur.

Multa epistolae capita Clemens Alexandrinus excerpserit et per compendium citavit, *Stromatum* libro IV. Hinc totam n. ep. ex illis partibus, quas apud Clem. Alex. invenimus, interpolatam esse suspicatur Bernardus. Cui assensus est Clericus. Quos vero refutavit Wottonus in notis ad ep. (vid. ad cap. IX). Postea integrum epistolam esse, atque unum ibi ubique consilium apparere negavit Moshemius, vid. Hefele l. l. pag. XXXII; qui eum deinceps refutat pag. XXXIII. Quod ad haec dubia attinet, caput etiam de ep. argum. consulant lectores, unde capita singula universo ep. consilio bene congruere appetet. Nam universa scribendi ratio etiam

eadem in ea esse mihi videtur; neque magis ratiocinatioris, qnam orationis diversitas mihi saltem illi inesse videtur. In primis oblitus est V. D. in dijudicanda epistola, me judice, eo tempore singularem ex V. T. allegorizandi modum apud Christianos primaevos obtinuisse. V. T. tamquam auctoritas summa habebatur, ad quam ut primum veritatis fontem multa referebantur. Sic etiam auctor multis fecit locis, quod M. displicuit. Vidd. apud Hilg., ad argumentum ep., notae 8, 16, 31. Tali modo V. D. Neander caput XL interpolatum habuit, quia Mosaismi sacerdotalis applicatio ad ecclesiam Christianam ei displicebat. L. l. in ep. arguento exponendo de hac re egimus. Denique V. D. Schweglerus, in operis „*das Nachapostolische Zeitalter*” Tom. II, pag. 127 infra, sic de epistolae integritate judicat: „Sunt nonnulli, „qui eam interpolationibus maximi momenti repletam „habeant; neque iis libera est. Nam minime tamquam „opus se praebet uno tenore scriptum, sed potius ex „disparibus elementis composita est. Difficile est in „talibus secernere authentica ab spurii; unde suspicio „passim interpolatae epistolae orta est, quae proxime „accedit conatui authentiam defendendi per ponendas „interpolationes.” Sed V. D. haec quidem affirmat, nec vero probat: neque igitur possum ejus opinioni consentire. Mihi nempe (neque solum me stare hac in sententia, patet ex sententia Hilg. et tot tantorumque virorum, qui epistolae integritatem defenderunt internis argumentis, in quibus Hugo Grotius) epistola uno tenore et ad unum consilium assequendum per omnia sua capita (quamquam diversae plane indolis) scripta esse videtur, vid. meum Caput I de ep. arguento, ubi hoc

ostendere conatus sum. Neque in stylo vel orationis indole tanta diversitas esse mihi videtur, quae tales hypothesin probabilem reddat, quamvis, ut ex re ipsa patet, magna scribendi varietas eluceat ex epistola. Quaenam heterogenea ea elementa fuerint, non dicit V. D., neque ego video; nam de paucis, quod ad dogmaticam indolem, temperationibus postea videbimus. Neque diversae quaedam ex fidei doctrina ductae formulae eam V. D. probant accusationem contra epistolam. Etiam credo de spuriis vel authenticis locis crisin historicam judicare posse, de qua re h. l. Schweglerus dubitare videtur, quamquam multis aliis in locis acutissime talia excutere solet.

Disquisitionem nempe de locorum singularium interpolatione a plurimis cum fructu factam esse, historia nos docet. Neque etiam hac in re cum V. D. facio, cuius sententia mihi non bene fundata videtur. Sed alia est quaestio, de qua V. D. Baumgarten-Crusius¹⁾ egit, num forte *Diaskeuastae* (qui interpolandi scripta quasi munere fungebantur, nempe ut acatholicos locos in catholicos transverterent) archetypam epistolae formam mutaverint, sicut aliorum multorum ecclesiae scriptorum? Sed epistola nostra ab initio inde usque ad saeculum quintum publice legebatur in ecclesia: neque igitur facilis talis fuisse mutatio. Verum etiam l. l. Baumg. affirmit authenticos libros, quibus nostra ep. annumerari debuit²⁾, non ab iis interpolatos esse. Atque ante pri-

1) *Dogmen-geschichte* libri I, pag. 82.

2) Vid. de omnibus his atque in primis ep. historia accurata cap. nostrum de ep. authenticia infra.

mam ejus lectionem inversio quomodo potuit fieri? Neque etiam illus ecclesiae historicus de tali interpolatione epistolae questus est, quamquam Patres saepe de manuscriptis corruptis queruntur. Tum accuratae citationes, quas posteriores ex ea petierunt, nobis integritatis universae testimonium edunt. Quia in re jam Polycarpi epistola ad Philippenses nobis prodesse potest; quae nempe tam accurate locos ex ep. n. sumsit, vel saltem libere adhibuit, ut debuerit epistolam talem legere, qualem nos eam habemus. Nam ex locis, quos Hefele, l. l. pag. XXVII, pro authentia ep. adhibuit, comparatis nostra et Polycarpi epistolis, sane appareat, nostram eamque eandem epistolam huic in manibus fuisse, unde ad verbum quae-dam transtulit in suam ad Philippenses ep., ut jam Gallandius monuit. Et sic universa ep. integra ad nos pervenisse videtur. Ac V.V. D.D., qui de ea dubitaverunt, subjectivo tantum ex sensu quodam ratiocinatos esse, patet inde, quod, quamquam externa argumenta valida integritatem ep. n. probarent, ex internis eam rejicerent. Nam haec interna argumenta mere subjectiva esse possunt et sunt, nisi externis nituntur. Praejudicatis sane opinionibus ductus Mosheimius hanc rem egit. Plurima de hac re in capp. de authentia et tempore epistolae dicere poterimus, ubi vide. Et tamen plane integra non est, nam inventa est cum omissione post caput LVII in *Codicis Alexandrini* manuscripto, pone quem primum reperta est. Quem locum perditum Junius jam vedit, et Hilg. describit pag. 74 n. 33, ubi vidd. diversae conjecturae de sententia, quae una cum loco illo nobis perierit. Folium integrum excidit; attamen ex contextu patet, non rem maximi momenti ibi legi

potuisse, quia consilium ep. jam perfectum erat; quare sequentia tantummodo preces pro Corinthiis continere potuerunt. Sed fortasse h. l. ea inveniebantur, quae legimus apud posteriores scriptores ecclesiasticos ex epistola citata, non in ea, quam habemus superstitem, scripta. Quod tamen incertum, quia etiam ex secunda, quam nonnulli eidem tribuebant auctori, epistola, sive ex perditis ejus scriptis talia fluere potuerunt. Lacuna non magna est secundum judicium hujus rei peritorum, qui ipsum manuscriptum consuluerunt, neque magnum inde damnum existit. Nam res tota, quam exponere volebat auctor, tractatur in epistola; quod magis etiam patebit ex sequenti disquisitione de dogmatica ejus indole.

CAPUT QUINTUM.

EPISTOLAE DOGMATICA INDOLES SIMPLICISSIMA.

Si epistolam nostram accurate et animis ab omni partium studio alienis legimus, sine ullo dubio statim videbimus, ejus indolem nullo jure appellari posse dogmaticam. Primo enim obtutu consilium mere morale, quod per totam epistolam variis modis persequutus est auctor, semper idem agens, clare in ea nobis elucet. Rei summa sita est in practicis adhortationibus ad vitam bene agendam, in primis quod ad ecclesiam Christianam attinebat; cuius conditio turbata occasionem, ut vidi-
mus, huic epistolae scribendae dedit. Fratrum in Christo concordiam in ecclesia Corinthiaca restituere conatur auctor; nec igitur de dogmatibus religionis nostrae saepe sermo est. Raro tantummodo in ea placita de Deo et Christo atque ab eo liberato homine inveniuntur, ea maxime, quae fundamentum erant doctrinae moralis. Pri-
maevis illis temporibus, quibus Christi Spiritus salu-

tariter in primis et efficaciter in ecclesia vim suam exsebat, major ubivis apud Christianos libertas in fidei doctrina vigebat. Minime ea anxietate, quam posterioribus saeculis fuisse observamus, inter fines definitos et formas dialecticas animi humani per Christum Servatorem liberationem a peccato comprimebant. Cujus rei epistola nostra testimonium clarum edit. Simplex omnino epistolae argumentum est: in qua neque Joannis Evangelistae theologia, neque Pauli in epistolis philosophica anthropologia nobis se demonstrat. Nonnumquam auctor noster secundum temporis illius rationem allegoriis utitur, de Dei atque hominis agens natura; sed nusquam philosophica appetet subtilitas. Quibus de rebus antequam sententiam nostram exponamus, de quibusdam V.V. D.D. opinionibus dicamus. Nam in nostra epistola nonnulli interpretes consilium quoddam dogmaticum inventisse sibi videntur; sed me judice invenerant tantum, quia quaeviserunt ac cupierunt in ea fundare sententiam suam de Christianismi primis temporibus. Neque totam epistolae indolem dogmaticam perpenderunt, quod § 2 hujus capituli facere conabor; sed ex verbis et effatis hic illic sparsis epistolae systema aliquod finixerunt. Quod et in V. D. Schweglero, et in Hilgenfeldio atque Ritschlio observare nobis licebit.

§ 1. Operis: "Das Nachapostolische Zeitalter," tomii II. pagina 125 seq. V. D. Alb. Schweglerus sententiam suam de epistola nostra prodit; quam minime authenticam esse¹⁾ ut probet, pag. 128 seq., dogmaticum ejus

1) De hac Schwegleri opinione postea videbimus in capite de epistolae nostrae authentia. Vid. infra.

characterem sic explicat: "Ep. n. seriem jam longam
"progressionum fuisse ponit, conciliationem inter Pauli-
"nismum et Ebionitismum esse, justo medio inter duas
"partes stans: opposita reconciliare vult et coordinare
"atque conjungere ad unitatem mechanicam." Hoc vero
judicium ex speciali V. D. de historia illius temporis
opinione proficiscitur, quae per omnes illius disquisi-
tiones tamquam filum innixa est, atque historicae ejus
criticae subest. Nam sic in hac nostra epistola statim
partis alicujus scriptum quaerit secundum consuetudinem
suam, et quidem tertiae partis, quae utramque extremam
in se conjungere vellet. Sic igitur consilium quoddam,
si Schweglerum audimus, idque clarum ex multis
epistolae locis elucet, efficiendi ut Pauli et Jacobi
placitorum oppositorum conjunctio fieret. Antequam hu-
jus rei expositionem inchoamus, id quaerimus tantummo-
do ex V. D.: Si vel Paulum et Jacobum ita inter se
differre ponamus, quod probandum esset (vid. nota 2),
nonne tamen potuit epistola nostra sine ullo consilio dog-
matico, sine ullo partium studio scripta esse? Quod fieri
non potuisse non satis probavit Schweglerus. Sed
verba ipsa V. D. jam recitemus: "Paulus thesin posu-
"erat in primis in epistola ad Romanos (IV cap., 3 vs.),
"Abraham per πίστιν solam justificatum esse; Jaco-
"bus in epistola sua (Cap. II vs. 21) huic plane oppo-
"sitam thesin habet, Abraham per opera justificatum
"esse. — Epistola nostra thesin et antithesin conjungit
"ad synthesin: utriusque rei causa Abrahamus justi-
"ficatus est: διὰ πίστιν καὶ ὑπακοήν. Vid. omnino Ca-
"put X: ἐπίστευσε δὲ Ἀβρ. etc. Διὰ πίστιν καὶ φιλοξ. etc.
"Sic etiam cap. XII legimus: διὰ π. καὶ φ. ἐσάλη Ῥαᾶβ

"η πόρνη; — quam epistola ad Hebreos (capite XI vs. 31) "justificationis per fidem, Jacobus contra in epistola sua (capite II vs. 25) justificationis per opera exemplum proponit; nonne hic conatus externae conglutinationis est rerum, quae plane sibi invicem oppositae erant?"

Haec fere Schweglerus: cui hac in re consentire non possumus; sed multo magis credimus haec mere Paulina esse; nec utriusque Apostoli sententiam mihi intellexisse videtur h. l.1). Nam si locis a V. D. laudatis ἐργα et πίστις copulantur, quare sic accipiendae sunt tales phrases, ut externo tantummodo sensu copulata sint fides et opera? Quare mechanicam unitatem epistolā nostra sibi voluit, si ex verbis ipsis etiam intelligi potest: Abrahamum egisse secundum Dei voluntatem propter fidem suam firmam, atque ideo servatum esse? Atque haec sententia nonne plane cum *Paulinis locis*: ep. ad Romanos cap. XIII vs. 12, ep. ad Galatos cap. V vs. 22—25 et vs. 6, convenit, quae etiam manifeste appareat ex Jacobi epistolae capitilis II vs. 22? Sic internum est inter πίστιν et ἐργα vineulum, atque ambo necessaria ad salutem sunt, quia bona fides opera fidei operatur, et opera vere bona tantummodo ex fide sequuntur.

1) Nempe in Pauli ad Romanos epistola oppositio haec est: νόμος (ἐργα τοῦ νόμου) et πίστις; prior vox *Judaorum religionem*, posterior vero Christi *religionem* significabat. Quod per totam epistolam apparere mihi videtur. Sed apud Jacobum vox ἐργα idem sibi vult, ac καλὰ ἐργα, minime tamen sic ut Schweglerus debet ponere, nam toti ejus rationacioni hypothesis subest, significat in epistola ἐργα τοῦ νόμου Μωϋσεως; quae *Judeo-Christianismi* formula erat. Vid. etiam Ritschl l. 1. pag. 291 seq.

Et quod ad exemplum speciale Rachabis attinet, si ex epistola ad Hebraeos Schweglerus eam ex fide sola servatam esse pag. 128 petere voluit, pag. 129 infra ex epistola eadem luce clarius reconciliandi et conjungendi utramque partem studium et consilium apparere affirmat. Quomodo talia inter se convenient, mihi non contigit intelligere. Sed jam pergamus V. D. verbis citandis: „Definitissime et clarissime hanc suam medium inter utrumque sententiam epistola nostra manifestat tamquam principium dogmaticum, capitibus XXXII et XXXIII, in quibus relationem τῆς πίστεως ad ἔργα explicat: ἡμεῖς οὖν ἐν Χρ. I etc. — δι' ἣς πάντας τοὺς ἀπὸ αἰῶνος ὁ παντοπράτωρ θεὸς ἐδικαίωσεν. Hucusque Paulina thesis ab auctore nostro aperte ponitur, sed statim sequitur Jacobi antithesis, verba saltem minime Paulina: τῇ ποιήσωμεν, ἀδελφοί; etc. Sic igitur manifeste opposita conjungere, fidei simul atque operibus jus dare voluit auctor noster; indefinite enim et Paulum et Jacobum imitatur, modo unum, modo alterum quasi citans: atque haec res epistolae nostrae characterem et auctoris privam sententiam continet. Epistolae nempe indoles dogmatica non aliter potest vocari, quam miserabilis partis cuiusdam, quod ad fidei doctrinam attinet, defectus, quia omnes partes in se excipit, atque sic dogmaticam indolem proprie desiderat.” En Schwegleri sententiam, quacum minime consentio equidem. Nam ex capite XXXII Pauli, ex capite XXXIII e contrario Jacobi sententias elucidare, non satis mihi apparet. Video equidem (Vid. ep. jam l. l. argum. cap. I), totam ratiocinationem nec secum nec cum Paulo vel Jacobo pugnare; nam si epistola

nostra dixit capite XXXII: sola fides vos servare potest, neque aliud quid, praeter fidem; tum pergit capite XXXIII rogando: num hanc ob rem igitur opera bona et amorem deseremus? Num fides res est, quae haec excludat, in nobis si agit et regnat? Minime vero, pergit eadem, quin etiam omne bonum opus summa faciamus alacritate, qua in re Deus ipse nobis exemplo esse potest etc. Nonne metuisse auctorem nostrum videmus, ne Corinthii ex cap. XXXII bona opera nocere saluti efficerent vel saltem non prodesse hominibus? Sine dubio talia non scripsit, qualia ei tribuit Schweglerus; nam omnia, quae nominavit in capitibus XXXII fine, opera sunt intelligenda a fide separata i.e. contra fidem. Quare statim errorem preevenire cupiens, ad bene agendum cohortatur, eodem plane modo, quo Paulus, in ep. sua ad Romanos cap. VI initio, disputavit, vid. ibi in primis vs. 4 in fine, vs. 12 et vs. 15.

De hac re accuratius infra, quum nostram sententiam exponemus, videbimus. Sed haec satis probant, Schweglerum hypothesis, qua ducebatur, magnos in errores in disquisitione tam faciliter abduxisse. Atque etiamsi omnia quae disputavit vera essent, num tamen jure ex quibusdam locis de totius epistolae charactere concluderetur? Quem etsi dogmatico carere colore statuit, tamen intermedium epistolam vocat, quod ad doctrinam, inter Paulum et Jacobum. Nam loci, quos pag. 129 in nota citavit, sane dogmatica minime placita continent, atque tota argumentatio ex iis petita, nisi firmior et acutior sit, quam ea, de qua supra vidimus, sine ullo dubio nobis non persuaserit. Si talia vident Schweg-

lerus in epistola nostra, quae ei non insunt, quare tandem affirmat epistolam nostram nullum habere spiritum atque plane charactere definito carere; quem tamen supra accurate definivit V. D.? Quare in convenientia nostrae epistolae cum epistola ad Hebraeos documentum videt V. D., ambos scriptores consilium reconciliandi partes persequi? Quam tamen epistolam typum quasi posteriorum ejusmodi scriptorum vocat (pag. 130 supra), quum ex una lectione pateat nostram epistolam epistola ad Hebraeos in consilium toto coelo diversum usam esse? Sed jam satis hac de re. Mirum est sane, nullam mentionem fieri apud Schweglerum de pure practica epistolae indole, unde efficere licet, dogmaticas argutias in ea non inveniri posse. Mirum est, V. D. rem quam ita explicat, ut errare nobis videatur, non illustrare (partim saltem) ex simplici modo, quo auctor noster de fide et operibus disputat sine ulla philosophica argumentandi subtilitate. Quod recte perpensum eum sine dubio ad primum post Christum saeculum duxisset, quo tempore dogmaticum sistema nondum notum erat. Sed talia Schwegleri hypothesi et toti systemati minime conveniebant. Nam sic epistola nostra nullum ei reconciliandi consilium ostendisset, atque in ejus definitione locum habere non potuisset hujusmodi argumentum. Quare, practicum ac morale officium peragens, epistola partem dogmaticam aliquam amplecti debuerit non video. Quin etiam dogmata tangere non opus fuisset: et, si fecisset, quare non auctori nostro licuerit hic Apostolos citare, quibus fidem habebat? Denique concludo adversus Schweglerum, qui in epistola nostra nullum videt spiritum, revera spiritum inesse pure Christianum, a

dogmatum subtilitatibus et partium studio alienum, qui mihi videtur ex tota epistola elucere.

V. D. Ritschl in opere: "Die altkatholische Kirche," inde a pag. 287 media, de dogmatico epistolae nostrae argumento sic disputat: "Paulinae sententiae, nos per Christi sanguinem a peccato liberari cap. XII (διὰ τοῦ αἵματος τ. κ. λύτρωσίς ἐστι πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν θεόν); sola fide homines justificari (cap. XXXII: οὐ δὲ ἐκυρῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ etc.) sunt ele-
menta primaria ep. n. Dogmatics. Sed auctor minime ex his placitis eas, quas Paulus, dicit consecutio-
nes: nempe ex fide sequi novae vitae sanctae necessita-
tem, quia sic una cum Christo mortui sumus peccato,
et cum eo resurgimus ad instauratam animi conditionem.
Minime sic opera ex fide per se jam sequi debere cum
Paulo docet ep. Sola fides sua vi opera non efficit,
vid. cap. XXXIII initium, sed Dei voluntas principium
ponitur, ex quo ducantur virtutes. Per totam etiam ep.
admonitiones Dei voluntate nituntur, sicut et Christi
ἐντολὴ (capp. XIII et XLIX) fundamentum virtutum
est, atque sic fides posthabetur. Nam πίστις, Christi
morti et resurrectioni habita, in ep. n. minime homi-
num novae vitae interna causa est, sed tota Christi
persona ejusque singulatim mors et resurrectio in ex-
emplum morale adhibetur, e. g. capp. XVI, XXI, XXXIII,
XLIX etc. Quare Christi mortis satisfactio et re-
conciliatio Paulina hic non adest. Nam amor (cap. L)
remissionem peccatorum efficit, et poenitentia potest
gratiam ipsam mereri: cap. VII Ἀτενίζωμεν etc. Fides
igitur ad solum refertur Deum, et jussa Dei vel
Christi hominibus legem scribunt, quibus praestita

„obedientia justificationis via est et reconciliationis et
„beatitudinis, cap. XXXV vid.” Haec quidem subtili-
ter disputavit ille, sed me judice justo majorem vim
dogmaticam ep. effatis tribuit, quae nonnumquam mere
practica sunt. Credo equidem non Paulo adaequari
epistolae placita de remissione peccatorum per Christi
mortem expiatoriam; attamen comparatio talis non potest
institui inter Paulum et auctorem nostrum. Consilium
enim n. ep. non ferebat, ut saepe dixi, tales dogmaticas
disquisitiones, quam rem postea (§ 2) fusius exponemus.
Ac nimiam illius esse puto subtilitatem in dijudicanda
epistolae simplici argumento pure morali. Neque etiam
mihi ex capp. XXXII et XXXIII talis fidei opera bona
efficientis negatio sequi videtur, quando epistola nostra
de interno inter *πίστιν* et *έργα* vinculo ibi non agit. Ve-
rum est sine dubio, Dei voluntatem tamquam principium
summum, ex quo virtutes manent, nonnumquam proponi.
Sed num ideo fidei vis perit, ut Ritschl putat? Sane
moralem vim Christi mortis in primis urget, sed ibi
tantum, ubi exemplum morale requirebatur; atque ex
exemplis a Ritschlio allatis ipsis patet, ep. expia-
toriam etiam vim ei tribuisse: vid. apud eum nota 3 et
conf. capp. VII et XXI. Atque Deo credere semper
erit, ut erat eo tempore, primus fons veritatis et virtutis;
quae fides per Christum confirmata et gubernata
sine dubio ad opera (fidei verae scilicet) ducit Christians.
Sic amor sane vitae normam dabit, atque in amoris
honorem talis hymnus, qualem capp. XLIX et L invenimus,
non mirus nobis videtur, ratione habita specialis aucto-
ris consilii; atque multa de eo effata S. C. libere citata
sunt. Minime tandem legalem illam vim ep. video, quam

Ritschl cum Paulinismo conjunctam in ea quaesivit, sed moralem potius eam rationem, quae tamquam vitae normam Dei voluntatem et Christi praeceptum dat, atque omnino ad bene vivendum omnibus modis Corinthios adhortatur.

Neque cum Ritschlio (pag. 290 supra vid.) in ep. n. *Gnosticismi* vestigia adesse credo, nam loca allata a V. D. hoc tantummodo indicant, religionem Christianam ibi *Judaismo* et *Mosaismo* longe anteferri, et utriusque impletionem haberi. Atque in hunc sensum etiam dicta accipienda sunt de vinculo inter V. T. et Evangelium, vid. Ritschl l. l. Hic a pag. 292 inde disputat de ep. n. differentia a Paulinismo stricte sic dicto¹⁾, de qua nunc agemus. Ita fere hanc suam sententiam exponit: „Paulinismus nimiam vitae libertatem alebat per „fidei, solius justificantis illius, doctrinam, atque sic in- „terioris mutationis egebat, quae vitae normam univer- „salem constitueret. Similia igitur conata est etiam „ep. n., aequa ac Polycarpi ad Philippenses ep. Quare „Dei supremum jussum et Christi mandata in iis ex- „ponuntur et ad vitam regundam adhibentur.” Haec probare possimus omnia, praeterquam quod Paulum etiam credimus vitae normam Christianis dedit, quam in omnibus ejus epistolis invenimus, practicarum admonitionum ratione expositam, quae applicationem partis dogmaticae habent, qua nitantur. Et Paulus sane ea praecepta moralia a Mosaica lege distinxit, quare non video qua in re a Paulinismo aliena sit ep. n. Sed talium rerum

1) De *Paulinismo* ep. n. § 2, quum ipsam nostram sententiam dabis-
mus, agetur.

disquisitio non proxime ad consilium hujus loci pertinet, quia de ep. n. dogmatica indole § 2 nostram quoque sententiam explicabimus. Acutius igitur quam verius haec omnia ex ep. n. petuisse videtur Ritschl, quamquam multis in rebus epistolam a Judaeo-Christianismo distare recte contra Schweglerum probavit. Jam ad Hilgenfeldii sententiam transeamus, quam l.l. sic exposuit, inde a pag. 86 : « Paulina elementa pura » continent capp. XXXI et XXXII: fides sola justificat » homines, atque sec. cap. XXXVIII purum Dei voluntatis opus est, ad quod virtutes christiana tamquam » gratiae dona reduci possunt. Etiam ad mortem Christi » quod attinet, mere Paulina ep. n. est. Tum prophetiae » de Christo datae auctori n. ratam faciunt fidem sub » Mosaismo; quo scilicet jam tempore pii Israëlitae specialem Christianorum fidem tectam possidebant, quae » postea impleta est, vidd. capp. X, XVII et in primis » XII: διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου etc. Sic omnes prophetiae Christi adventum tamquam thema suum habebant. Fides etiam sub V. T. pure christiana (jam ante Christi tempora: capite XII Rachabis) viget, » quamquam tantummodo sermo est in ep. n. de πίστει » πρὸς τὸν θεόν, (cap. XXXV). Quae tamen morte Christi expiatoria (capp. VII, XXI) efficitur, sicut Christus omnino totum inter hominem et Deum vinculum instauravit: cap. XXXV. Porro jam veram Christi Divinitatem continet ep. n. capp. XXXV, XVI et II. Tandem Christiana religio in ea ubivis informatur ut ethnicī mundi ad Christum conversi religio, plane sicut Paulus docet.” Quae omnia cum V. D. Paulinismi vestigia vocare audeo, attamen quae de morte et

vera Divinitate Christi disputat, mihi non ex ep. n. patuerunt¹⁾. Fides autem Deo soli habita ab auctore commendata, sane pure Christiana est, nam fidei nostrae objectum Deus semper esse debet, ad quam fidem per Christum adducimur, vidd. ep. n. capp. XXXV et XXXVI.

Sed nunc pergit V. D. pag. 88 ep. n. Paulinismi has enumerans modificationes: 1. Opera in ep. n. plus efficiunt ad salutem, quam apud Paulum, quam rem exemplis probare studet. Sed ipse Hilgenfeld concedit, ea opera bona ex fide exstisset, atque inde vim suam salutarem etiam apud auctorem n. accipere. Fides magis realistice capit, secundum Hilg., cap. XXXIII e. g. τὸ ἔργον τῆς δικαιοσύνης. Quam tamen significacionem fidei etiam a Paulo tributam esse, sed minore gradu, affirmat V. D. Sed porro haec omnia, in primis maiorem amoris et vitae Christianae laudem, et moralia praecepta quibus epistola abundat, Hilgenfeld cum Ritschlio internam Paulinismi explicationem (perfectiōnem) vocat, ubi etiam dicit, auctorem n. vim maximam vitae normae sub legis cuiusdam externae forma tribuisse. Quae magna ex parte vera sunt, sed Paulo etiam talia sine dubio neque Hilg. neque Ritschl abjudicare voluerunt; tum etiam ep. n. praecepta Jesu ac Dei jussa urgere debuit pro suo speciali ethico consilio. 2. Paulinum principium, de vinculo *Mosaismi* cum religione Christiana, non negatur, sed amplificatur adeo in epistola: vinculum et identitas ambarum patefactionum magis ex-

1) De his videatur § 2, ubi in primis exponetur simplex auctoris doctrinae argumentum.

ponitur. Et hac de re multa exempla affert. Sed Paulus Mosaicam legem a Christo abrogatam proponit, et per ejus impletionem prorsus deletam; ep. n. e contrario legem vim suam apud Christianos retinere docet. Quae tamen ultima verba minime affirmare velim; ipse enim Hilg., pag. 88 infra, oppositam fere sententiam prodit, ubi dicit, epistolae moralia praecepta minime ad Mosaicam legem, sed ad vitam Christianam universe referenda esse. Me judice inter ethicam et legem h. l. discrimen non observavit V. D., qui igitur sic sine ullo dubio aberrationem magnam a pura Pauli doctrina in ep. n. querere debuit, quia sec. Paulum omnis legis notio longe a doctrina Christiana abest, quae libero boni amore nititur. Nam aliud est sane, practicas admonitiones ad vitam regundam urgere; aliud legem quandam imponere, quae vitae norma fieri possit. Atque posterius hoc propositum mihi ex epistola nostra minime apparuit.

§ 2. Nunc jam nostram de ep. dogmatica indole sententiam exponamus. Quod sine ullo dubio difficile est, quia ex quibusdam tantum formulis et effatis, quibus ethica nititur, peti debet. Systema saltem quoddam minime ep. inest: singularium dogmatum, quae hic illic nobis occurunt, neque docta expositio neque probatio adest. Tum etiam fidei doctrina, quae auctoris n. monitis subest, non proxime ad consilium ep. pertinet. Haec probare non opus est, quia sola jam epistolae accurata lectio haec docet. De Deo tamen et hominis cum Eo vinculo per Christum ex ep. n. pure Evangelica placita discimus. Etiam via salutis et gratiae subsidia in ea inveniuntur. Quae placita in systematis quandam formam redigemus, quo facilius auctoris dogmatica appareat:

Theologia: Deum esse ponit ep. (sicut S. S.); ejus attributa praecipua (quae et C. S.) docet: D. est *unus* cap. 46 vid., *omnipotens* capp. 1, 2, 27, 32, 33, *omnipraesens* cap. 28, *omnisciens* capp. 21, 27, 28, 58, *aeternus* capp. 32 et 35, *verax* cap. 27, *immutabilis* cap. 27 *sanctus* est Deus: capp. 7, 11, 35, 48 vidd. — Dei *amorem* capp. 2, 9, 19, 23, 29 et 56, *justitiam* capp. 27 et 45 et *sapientiam* cap. 33 memoratam invenimus. — Sic igitur humanas proprietates adhibet ep. n. ad Dei ideam hominibus proponendam, plane ut Cod. Sacer: quis enim mortalium in Infiniti imagine informanda ab anthropomorphismo¹⁾ liber esse possit? Deum *creatorem*²⁾ omnium rerum vocat: capp. 7, 19, 27, 33, 34, 35, 38, ejusque *providentiam* in mundo conservando et gubernando capp. 20 et 24 docent. *Angelorum* mentionem facit cap. 34. — In his exponendis non possumus non memorare, Dei βούλημα et δέλημα prae omnibus valere in epistola, cuius igitur supremum in omnia imperium apud auctorem n. praevalet. —

Anthropologia: homo est animans excellentissimum, Ejus εἰκόνος χαρακτῆρα ferens cap. 33, qui *Deum* tamquam exemplum, quod ad *opera*, habet cap. 33. — De hominis οὐσίᾳ, lapsuque, de *peccati origine* vel *natura*, (quamquam cap. 39 Jobi querela de debilitate humana inventitur) nihil docet ep. n.³⁾. —

1) Vidd. cap. XXXIII verba: ταῖς ἵεραις καὶ ὀμώμοις χερσὶν etc. e. c.

2) Creationis modum minime explicare conatur auctor n., neque etiam dicit per quem vel ad quem finem D. mundum creaverit.

3) Peccata multa in ep. n. reprehenduntur, e. g. ep. thema: ζῆλος et invidia et discordia. Contra Deum et homines nos peccare ep. docet pluribus locis.

Christologia: Christus vocatur *Dei Filius* cap. 36, ubi etiam aliae proprietates sublimes de eo referuntur¹); de Christi *historia* nihil continet ep. n.; atque de ejus *persona* solum cap. 36. *Munus Christi triplex*, ut scholastica divisione utar, ejus destinationis et consilii in terra degentis, invenitur: ut *propheta* proponitur capp. 13, 23, 35, 36, 42 et 46. *Sacerdos* n. fuit sec. capp. 7, 12, 20, 21, 36, 48, 49, 58, ubi Christi *αἷμα τίμιον* Deo vocatur, quia, nostrae salutis causa ἐνχυθὲν, toti mundo *μετανοίας χάριν* attulit, cap. 7. Cap. 12: διὰ τοῦ αἵματος τ. κ. λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐ. τ. θ. Cap. 21: οὐ τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδέθη legitur, quae sufficient ad probandum contra Ritschl pag. 288 et 289 l. l.²), Christi mortem in ep. n. plus significare, quam exemplum ethicum. Attamen quamvis salvifica et expiatoria Christi mors h. l. exponatur, minime tamen de satisfactione sive de Christi perpessionibus loco n. exantlatis (theoria posterioris temporis) quidquam ep. docet³).

Soteriologia: Quod ad viam salutis attinet, *praedestinationem universalem* humani generis a Deo ad *salutem* docent capp.: 29, 50 et 58. Homines (Christiani) *ἐκλεκτοὶ* vocantur capp. 1, 2, 6 et 46. Quod ad *libertatem*

1) Ex S. C. petitae sunt plurimae; in primis cum. ep. ad Hebreos cap. 1 convenient.

2) Vid. de hac re accuratius agens Lechler, in *commentatione de Postapostolica aetate*, apud Teylerianam societatem auro premio coronata, a° 1851, pag. 312 seq., ubi melius videre quam Ritschl mihi videtur.

3) Nam locus cap. 2: καὶ τὰ παθήματα etc. solum exemplum commendandi consilium habet. Sic in. Cod. S. etiam doctrina se continuuit ep. n.

hominis attinet, *cooperatur* sec. cap. 7¹⁾); sed hoc ex morali indole illius capitum et totius ep. explicandum est, quia D. voluntas omnia efficere videtur, e. g. cap. 27. Ob morale consilium *officia* et *virtutes* ab auctore n. ad viam salutis referuntur, attamen *Dei gratia sola nos servari*²⁾ docet manifeste ep. n., sicut etiam *fidem solam* nos *justificare*: cap. 32. Quam tamen doctrinam et Paulinam et universe Christianam ita exponit (capp. 31 et 33 vid.), ut de interno inter fidem et opera vinculo nihil quidquam contineat, quae ambo ad salutem necessaria habet: plane ut C. S. multis in locis. De *Sp. S.* salutem *operante* sive de ejus natura et opere nihil docet. Salutis *subsidiū* est ἡ ἐκκλησία τ. θ. cap. 1, *una* cap. 37 et 38, ab Apostolis ordinata et instituta cap. 2 et 44, *ad salutem necessaria*: c. 57 vid.³⁾.

*Eschatologia: Resurrectionem hominis sec. Christi exemplum ep. n. premit et urget capp. 24—26, aequo ac Paulus in priore ep. ad Cor. cap. XV. *Judicium ultimum* cap. 21: *εἰς οὐρανα* et cap. 28: *τὰ μέλλοντα οὐρανά* docent, sed plane indefinite; et *aeterna salus*⁴⁾ promit-*

1) τοῖς βουλομένοις etc. haec redolent; sed ubivis alibi bonum, quod homo facit, ponitur a Deo in illo esse factum.

2) Cap. 32 initium vid.: $\delta\pi'$ $\alpha\dot{\omega}\tau\sigma\omega$ scil. a Deo (vid. ep. argum.) omnia, et Christus est, per quem nobis salus orta est summa. Vid. etiam cap. 35 initium.

3) Ἀμεινον γάρ ἐστίν ὑμῖν τῷ π. etc. mihi videntur salutem Christianam intra ecclesiae limites definire; sed possent etiam aliter explicari, nam tantummodo Christianis, secundum ea, ecclesia eam vim habet. De ethni- corum igitur salute nihil inde effici licet.

4) Minime expressa ea dictio occurrit, sed de vita post mortem non dubitat ep. n.; atque si de loco gloriae loquitur, sane anthropomorphice, ut nos de coelo, debet accipi illa vox. Sic igitur nos aeternam salutem

titur fidelibus capp. 5, 6, 32, 35, 45, 48, 50, 54. *Poenae aeternae* nusquam in ep. occurunt, ne verbum quidem de iis inest; quod mirum, quia tot biblicis distinctionibus utitur ep. n., et moralia sua praecepta earum vi urgere facile potuerat.

Divinam *Triadem* cap. 46 invenimus biblica et pura ratione Christiana expositam: οὐχὶ ἡνα θεὸν ἔχομεν etc., sed in hac formula *Trinitatis* notio, quae postea inventa est (Tertullianus etc.), nulla est; nam neque *personarum ὁμούσια*, neque *character hypostaticus*, neque περικέρποντις adest illo in loco claro et simplici.

Sic simplicissimum ep. n. argumentum dogmaticum exposuimus, quod me judice nullam de doctrina fidei item dirimit. Saltem characterem non habet, qualem Schweglerus ei tribuit: dissensionis enim inter Judeo-Christianos et Paulinistas nullum in ea invenitur vestigium. Capite XXXII Pauli Apostoli fere verba adhibentur, sicut saepe Jacobi epistola aliis locis libere usurpat. Sed de legis Mosaicae vi in Christiana religione ne sermo quidem est. Et quod opera bona tantopere ab auctore nostro laudantur, sequitur ex morali ep. indole et practico consilio. Atque etiam adhortationes ad virtutem cap. XXXII numquam Paulinae sententiae adversantur. Minime igitur assentiri possum V. D. Reuss in opere: *Die heiligen Schrifte des N. T.*, § 235 ep. n. fere sicut Schwegler judicanti. De ceterorum sententiis jam hujus capititis § 1 vidimus. Nunc igitur post expositam epistolae doctrinam repeto quod antea

significaremus, quare nostrae Dogmatics determinationem adhibui. Dilucidius cap. 50 μακαρισμός vocatur.

dixi: male dogmaticas notiones ex quibusdam verbis, et argutias philosophicas ex effatis, quae pure biblica dici possunt, petierunt nonnulli. Multa enim placita, quae posterioris aevi Dogmatica Christiana constituit, ep. n. non continet; neque enim de peccato originali et haereditario, neque de trinitate, neque de Christi persona (*Deitate, duabus naturis*) nec de satisfactione agit¹⁾. Quae res nobis testimonium dat, praevis Christianismi temporibus scriptam esse ep. n., quod etiam probat mere biblica ejus ratio. Haec igitur nos docet epistolae indoles, nullam manifestans in doctrina exponenda subtilitatem, sed magnam ratiocinandi simplicitatem. Nam historia postea demum metaphysicas ortas esse definitiones placentorum demonstrat, quibus hoc vacat scriptum. Neque Alexandrinae philosophiae vis in ea appetet, quae postea tantopere Christianae religionis simplicitati nocuit. Ep. n. nullum subtilius Dogmatices systema continet, quod neque fieri potuisse primo post Christum saeculo, in quo scriptam esse epistolam caput sequens probare conabatur.

1) Locus capite 2: *καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ* etc. non probat Christi Divinitatem, sicut nonnulli voluerunt. Neque enim pronomen *αὐτοῦ* ad Deum referre voluisse mihi videtur auctor, qui nullo alio loco *Christum Deum* vocat; h. i. subjecti obliisci potuit, aut voci θεός non eandem ac nos metaphysicam notionem tribuere.



CAPUT SEXTUM.

EPISTOLAE SCRIPTAE TEMPUS.

Jam ad tempus definitum exquirendum, quo scripta sit ep. n., accedamus, de quo diversae quidem sunt sententiae. Sed plerique tamen V.V. D.D. inter annum 80 et 90 post Christum eam datam esse statuunt. Vid. Hilgenfeld l. l. pag. 84 nota 14, ubi citantur interpres, quorum numerus sensim accrevit, qui ad Domitiani tempus eam referunt. Sunt tamen nonnulli, qui multis annis antea eam scriptam credant, idque ante Hierosolymae jam eversionem. In quibus veteres multi, e. g. Grabius, Gallandius, hoc tempore recen-tiori VV. DD. Schenkel et Hefele fuerunt. Fuit solus Schweglerus, qui ep. n. ad saeculum post Christum secundum referret, in opere jam saepius laudato. De iis igitur primo loco videamus, qui a plerorumque sententia recedunt. Quare ante Hierosolymae diru-tionem, quae a° 70 locum habuit, scripta ep. n. dicitur?

Vid. Hefele, *Patrum Apostolicorum ed. 3* pag. XXXVI, Prolegomenorum n. d.: "Capp. XL et XLI probant templo adhuc stante Hierosolymitano haec scripta esse. Auctor enim, ut ad ordinem servandum Corinthios adducat, iis ordinem Judaici cultus ante oculos ponit: quodsi autem templum jam tunc fuisse destru'ctum, tota argumentatio fuisse infirma." Sed quare? Nonne praeteritum rerum ordinem lectoribus in exemplum proponere poterat auctor n.? Num exempli vim una cum re, unde sumtum est, periisse censendum est? Num forte excidio Hierosolymae Deus ipse testatus est, talem ordinem sibi non placere, ut Hefele l. l. putat? Minime constat ejusmodi poenam fuisse, sed si constaret, nihil aliud id probaret, quam eum ordinem, qui tum Deo placuerat, tempus suum habuisse, quo elapso novâ forma ordo ecclesiasticus indui deberet. Tertium tantummodo comparationis adest: in quavis religione ordo quidam adesse debet. Sicut Deus ipse apud suum populum ordinem instituit, ita apud Christianos ordo est necessarius. Pag. XXXV de persecutione disputat idem, quam epistolae caput primum memorare putat, atque probare conatur significari h. l. non Domitianus, sed Neronis persecutionem: de qua re postea videbimus. Sic igitur putat, desinente Neronis persecutione et ante excidium Hierosolymae, ep. n. scriptam esse (a° 68—70). Nos vero non magis Hefelio assentimus, quam Schenkelio, qui in dissertatione de litibus Corinthiacis jam laudata a § 77 inde sic fere disputat: "Lites Corinthi Pauli tempore agitatae atque eae, quas ep. n. oppugnat, multam inter se similitudinem habent, quare paucis annis post Pauli epistolam haec scribi debuit epistola." Hoc igitur ut proba-

bile redderet, § 78 diversas esse de quaestione sententias dicit, atque ex epistolae ipsius argumento illius solutionem petendam esse putat, quod sic fere facit: "Ex dicto *"βεβαιωτάτη καὶ ἀρχαλα Κορινθ.* ἐκκλ., cap. XLVII minime effici potest, ad Domitian i tempora ep. n. referendam esse, quia id tantummodo significat per aliud quod jam tempus floruisse ecclesiam." Sed in eodem capite Pauli ad Corinthios ep. *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου* scripta dicitur, ac mihi saltem haecce temporis notatio Christianorum prima tempora spectare videtur. Sed Schenkelii primarium argumentum petitur ex capite XI.I: *οὐ πανταχοῦ προσφερ.* etc., unde colligit, Hierosolymis nondum eversis ac templo etiamnunc stante, epistolam esse conscriptam. Verum haec recte Hilgenfeld l.l. pag. 84 media refutavit, ubi ex Josepho ejusdem rei exemplum affert, et similia in epistola ad Diognetum citat.

Pergit autem sic Schenkelius: "Capite V Petri et Pauli martyria tamquam novissima memorantur, id quod Domitiano imperatore, triginta fere annis praeterlapsis, non commode fieri potuit." Sed hoc argumentum mihi nullam vim habere videtur. Nam *οἱ ἔγγισται ἀθληται* opponuntur *τοῖς ἀρχαλοῖς ὑποδειγμασι*, quae spatio longissimo, quippe sub V. T. facta, distabant. Minime igitur mirum, si 30 vel plures anni inter Apostolorum martyria et epistolam scriptam interfuerunt, et tamen voce *ἔγγιστα* per oppositionem auctor utitur. Sie Hilgenfeld pag. 83 media censet, 30 annorum spatium nec amplius ob vocem *γενέα* sumendum esse. Qua igitur ex sententia eadem aetate dicitur epistola scripta esse, qua Pauli et Petri martyrium accidit. Sed num *γενέα*

triginta tantum annos continet? Num hominum aetatem significat? Minime verbum ipsum id indicat, et si vel indicaret, num vitae humanae annorum numerus ita stricte definiri potest? Argumentum certe historicum hoc non suppeditat. Sed aliud Schenkelio argumentum praebet atrocissima persecutio, quam nuper exarsisse ex ep. n. appareat. „Compertum vero habemus, ait, quae persecutio sub Domitiano est exorta, minus eam fuisse atrocem neque tam late manasse, quam Neronis.” Sed hoc ultimum sane contra V. D. vim habere posset, quippe dicta epistolae, quo respicit, ad tales referri possent, quales cap. I e. g. memorantur, συμφορὰς καὶ περιπτώσεις, minime saltem atrocissimam persecutionem indicarent, quod etiam putat Hilgenfeld l. l. pag. 83 infra. Nec mihi constat haec verba de persecutione intelligenda esse, quae etiam de multis aliis rebus in civitate vel ecclesia interpretari licet. „Postremo dubium etiam est, num Clemens Domitianus adhuc tempore in vivis fuerit.” Ne ipse quidem Schenkelius hoc validum habet argumentum, quia de persona Clementis, cui ep. n. vulgo tribuitur, minime constat, neque saltem vitae ejus anni accurate ex historia cognoscuntur, quod caput sequens nos docebit. Sic igitur neque Hefele, neque Schenkelius epistolam ante Hierosolymae eversionem scriptam esse nobis persuasit; nam argumenta, quae Hefele, pag. XXXV l. l. affert, jam attigimus; capite enim VI minime cum V. D. de cruenta adeo persecutione nuper praeterlapsed et tanta martyrum multitudine quidquam invenire possum, ut ideo Neronis, non Domitianus tempora indicentur. Ne dicam, vehementer historiae eum repugnare, quae Ne-

ronis persecutionem *latius* saeviisse contendit, quam Domitianus. Nam universe de varii temporis martyriis, quin etiam de mulieribus sermo ibi est, neque posset omissio nominum, etiamsi qua persecutio significaretur, contra Domitianus vexationes testari, ut Hefele n° c. contendit. Sed si ep. n. non scripta est ante Hierosolymam dirutam; contra Schweglerum etiam non magis eam ad saeculum secundum post Christum n. referendam esse contendit.

Nunc de ep. locis videamus, qui secundum Schweglerum eam posterioris aetatis esse probant. Libri jam laudati tomi 2 pag. 126 media fere disputat: "Ep. n. utitur epistola ad Hebreos, quae ipsa ad Postapostolicam aetatem pertinet, ut pag. 304 seq. contendit V. D." Sed hac in opinione fere solus versatur Schweglerus; nam ceteri plerique interpretes ante Hierosolymae eversionem scriptam putant epistolam, quam ad Hebreos missam esse ipse statuit circa finem primi saeculi. Sed argumenta, pag. 304 seq. allata, mihi non persuadent, quia ad consilium suum epistolae argumentum contorquere, in eaque temere suo ex arbitrio notas posterioris actatis quaesivisse mihi videtur Schweglerus, qui hypothesi sua historica semper nititur. "Capite XLVII ἀρχαὶ ἐκκλησία vocatur;" sed haec verba jam vidimus minime tempus scribendi accurate definire, neque absurde de ea accipi posse, quae annis aliquot post initium Societatis Christianae exstiterit, ecclesia. "Capite XIII de presbyteris est sermo, qui partim ab Apostolis, partim postea (μεταξύ) ab aliis viris probatis electi erant, μεμαρτυρημένοι πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων. Quomodo vir, qui Apostolorum tempore vixit, ita scri-

“bere potuit?” Vid. his de dictis Ritschl l. l. pag. 285 med. “Tandem ep. n. perfectionem indititutionum hierarchicarum ponit, scilicet episcopalis regiminis, quae non sane tempore proxime Postapostolico, sed secundo demum saeculo exsistere potuit. Anachronistica omnino forent, quae scripta sunt cap. XLIV: *καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν* etc., si ab Apostolorum aequali scripta essent. Quin etiam Rothius concedit, auctorem nostrum h. l. sic egisse, ut plures ecclesiae patres, suam nempe aetatem in anterius tempus quod ad ordinem ecclesiae transferentem.” Haec quidem ille; sed ei reponere possum vocem τῆς ἐπισκοπῆς minime significare episcopatum proprie sic dictum, quem postea in ecclesia viguisse scimus, sed universe ecclesiae regimen quoddam, quod jam epistolae n. tempore sine ullo dubio aderat. Quod ad ἐπινομὴν attinet ibi memoratam, non video, quare talis res anachronismus historicus vocari possit. Rothius plane diversam a vulgo recepta de his opinionem habet, quam supra recensuimus¹⁾. Sic etiam pag. 131 dicit Schweglerus, in ep. n. ordinatae administrationis ecclesiasticae sistema inveniri, quod a Paulinismo alienum sit. Sed ibi invenio tantummodo memorata argumenta ex usu et vi V. T., quae habet ep. n.; et affirmatur cognitionem auctoris ex epistola manifestam esse de clericali potestate et episcoporum institutione; quam vero utramque in ep. adesse vehementer nego, neque probavit Schweglerus. In ea enim ad obedientiam praefectis praestandam admoneri Corinthios, non tem-

1) Capite de litibus Corinthisis sive de scribendi opportunitate. Vid. etiam Ritschl. l. l.

poris posterioris nota est. Evidem credo auctorem n. ubique in epistola episcopatus et presbyterii identitatem ponere; nusquam in ea utriusque discrimen accurate constitutum cognoscere mihi saltem contigit. Quare Schweglero minime possum assentire.

Transeamus igitur ad nostram sententiam ex disquisitionibus jam institutis probandam. Jam in initio capitinis dixi plerorumque hodie opinionem esse, inter annum 80—90 esse scriptam epistolam. Et Hilgenfeld hanc sententiam exponit pag. 83—85, sed incertam quodammodo rem habet. Argumenta nostra magis negativa, quam positiva erunt, quod in temporis definitione fere obtinet. Nempe si nec *ante* annum 80, nec magis *post* annum 90 existere potuisse scriptum probare possumus, tum intra 80—90 datam esse epistolam constabit. Videamus. Quum ex dictis in ep. n. nihil nobis apparuerit esse, quod impedit, quominus post annum 70 scripta sit, nec notae, quibus ducti nonnulli hoc fieri potuisse negarunt, rem probent; nunc pergamus argumenta enumerantes, quae ejus tempus post certum aliquem annum constituendum esse doceant. Universe tempus Apostolorum jam distantia quadam aetatis abesse in epistola sumitur, quod ex multis locis patet. In primis capita XLII et XLIV id probant; ubi Apostoli dicuntur antea *κατὰ χώρας καὶ πόλεις κηρύσσοντες* episcopos et diaconos instituisse; atque Apostolorum successores alios prefectos elegisse, qui *μεμαρτυρημένοι* erant *πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων*. Sed verba: *μακάριοι οἱ προδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, οἵτινες ἔγκαρπον καὶ τελείαν ἔσχον τὴν ἀνάλυσιν*, clarius nobis testimonium edunt, ep. n. conscriptae tempus hominis aetate longius ab Apostolis abesse. Porro

caput V de Pauli et Petri martyrio ut praeterito loquitur, quod secundum omnes historicos ante Neronianam persecutionem exsistere non potuit. De ipso eorum mortis anno vid. Schenkelius l. l. § 80 seq. Unde post annum 64 esse scriptam epistolam n. appareat. Paulus saltem sub Neronis imperio martyr obiit, atque ejus mortem auctor n. aperte cognitam habet. De Petri martyrio, ubi et quando extiterit, sub judice lis etiam nunc est Capite XLVII epistola Pauli ad Corinthios scripta esse ab auctore dicitur *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου*, quae verba me judice significant: "in initio evangelii "apud vos noti," i. e.: tempore illo remoto, quo Apostolus recens demum cognitam fidem Christianam epistola sua corroboravit. Quare anni nonnulli saltem inter Pauli illam et hanc epistolam interfuerunt, de quorum numero vid. Schenkelius l. l. § 84, qui ob alias causas, quas refutavimus supra, spatium illud 3—6 annorum fuisse sumit. Ibi vero dicit V. D., inter omnes hodie convenire, Pauli ad Corinthios epistolas inter annos 56—59 datas esse. Sic igitur nostra in caussa nihil refert, utrum prior, an secunda Pauli epistola h. l. significata sit. Sic etiam Hertwig, in *Tabulis ad N. T.* pag. 32, annum 57 vel 58 indicat tamquam scriptarum epp. Pauli ad Corinthios tempus. Capite eodem XLVII ecclesia Corinthiaca ab auctore *ἀρχαῖα* vocatur, quae sane vox ad remotum per aliquos annos tempus referenda mihi videtur. Sed aliud est testimonium, quod probat epistolam non ante annum 80 esse scriptam. Quamvis enim V. T. citans, Novo Testamento non nisi per traditionem utatur, et Evangelium nullum scriptum auctori notum esse appareat, una tamen epistola est, quam

in manibus ei fuisse sine ullo dubio constat ex tota ep. n. indole. Saltem epistolam ad Hebraeos auctor noster novit, ut capite de usu S. Codicis probavimus, et libere quidem, sed saepissime eam adhibet.

Quaestio igitur est, quo tempore ep. ad Hebraeos scripta sit. Vidimus supra Schwegleri fere solius sententiam esse, eam circa finem primi saeculi esse datam, vulgarem contra opinionem ejus tempus habere aetatem ante Hierosolymae dirutionem proximam. Sed Ammon ex g. in vita Jesu eam post annum 70 scriptam statuit; — et argumenta, quae Schweglerus ipse l. l. pag. 308 attulit; vim habent omnino magnam ad absurditatem probandam opinionis, quae ep. ad Hebraeos ante Hierosolymam eversam datam esse ponit. Nam plures in ea sunt loci, ex quibus patet generationem unam jam abiisse inter primam Evangelii praedicationem et epistolam illam scriptam. Atque notae, quae secundum multos interpres probant, eo tempore templum Hierosolymitanum adhuc stetisse, non magis, quam nostra in epistola, in ep. ad Hebraeos cap. IX insunt; ex quo allegorica quaedam Mosaismi interpretatio ad Christianae religionis gloriam majorem reddendam ab auctore petita est, ubi tertium tantummodo comparationis attendendum est, aeque atque in ep. n. capite XL, ut supra vidimus. Vid. de his in primis V. D. Reuss, l. l. ed. 2. § 154, qui conjicit, ep. ad Hebraeos scriptam esse anno 80 post Christum. Ubi pro hac re allati loci a lectoribus judicentur. Videmus igitur ep. ad Hebraeos probabiliter scriptam esse intra annos 70 et 80 post Christum; quare ep. n., quae eam saepissime adhibet, annis quibusdam serius scribi debuit. Jure idcirco post annum 80

ep. n. ad Corinthios missam esse credimus. Neque objectiones ex nomine Fortunati, quod capite LIX invenitur, vel ex omissione eorum, qui eo tempore pro ecclesia jam sanguinem suum effuderant, nobis persuadent, eam ex remotiore aetate ad nos venisse. Nam nomen, idem quod in Pauli ad Corinthios epistola priore exstat cap. XVI vs. 17, minime probat eundem virum in utraque epistola significari; neque ex omissione Martyrum concludi certo potest eos nondum eo tempore periisse. Nunc transeamus ad notas quaerendas ex epistola ipsa, unde efficere liceat eam post annum fere 90 scribi non potuisse.

Primum ad hoc probandum mihi videtur afferri posse eadem illa vox γενέας capite quinto, de cuius vi jam supra sermo fuit. Nempe Hilgenfeld l.l. pag. 83 media affirmavit, γενέαν h. l. saltem significare 30 annorum, neque plurium, spatium. Argumentum vero quod attulit jam a nobis refutatum est. Sed nunc de vocis propria indole accuratius videamus. In classica Graeca lingua apud Homerum fere semper hominis aetatem indicat, ubi nempe γενεὰ significant diversa se invicem subsequentia hominum genera. Vid. *Iliados* libri I vs. 250, ubi de Hectore vox usurpatur¹⁾. Hesychius interpretatur per intervallum aliquot annorum, quorum tamen numerum non definivit; Passavius in *Lexico* dicit, vocem humanam aetatem, itaque 33½ annos notare, quia tres ejusmodi aetates saeculum continebant secundum Herodotum²⁾. Sed addit etiam eam adhiberi ab an-

1) Cf. *Odysseae* l. XIV, vs. 325 et l. XIX vs. 294.

2) Libri II capite 142 e. g.

tiquis scriptoribus, ut indicarent aetatem auream, argenteam et ferream. Sic autem universe significat temporis cuiusdam spatium sine ulla definitione. Qualis si adesset, saeculum potius, quam tertia ejus pars, intelligendum esset. In *Lexici* nova editione Passavius dicit: "ab Atticis scriptoribus prosaicis saepe pro tempore aliquo indefinito usurpatam esse vocem, atque sic etiam Herodoti libri III capite 122 et Aeschyli Pers. vs. 78." Verum in primis videamus, quam significationem huic voci tribuat dialectus, qua ep. n. utitur, Hellenistica ea, qua N. T. etiam libri scripti sunt. Ibi saepe progeniem significare, fere Latinum *genus*, multis ex locis apparet, ut ex gr. Matthaei cap. XI vs. 16, Lucae Ev. cap. XXI vs. 32, Actorum cap. XIII vs. 36, ubi generationem ita dictam, aetatem, aevum indicat. Perpendantur etiam loci: Lucae cap. I vs. 59: εἰς γενέαν καὶ γενέαν; Lucae cap. I vs. 48: πᾶσαι αἱ γενεᾶτ, omnia saecula i. e. homines omnium temporum. Comparentur Actorum cap. XIV vs. 16, cap. XV vs. 21; ep. ad Ephesios cap. III vs. 5, ad Colossenses cap. I vs. 26. Sic igitur pro *saeculo* etiam sumitur ab Hellenistis vox γενέά, quae significatio nostrae ep. loco laudato optime conveniat. Sententia sic enuntiatur: λάβωμεν τὴς γενεᾶς ἡμῶν τὰ γενναῖα ὑποδειγματα. Quae igitur hoc sibi velle mihi videtur: saeculi nostri (i. e. primi Christiani) nobilia exempla exponamus. Nam computandi tempora sumsisse primos Christians a Christo novum saeculum nemini mirum videbitur. Quippe cuius adventus maximi momenti eventus erat. Atque per saeculum etiam Hefele interpretatus est vocem l. l., et Reithmayr in ed. Patrum Apostolicorum. Si haec constant,

jure concludere licet ex laudato capite V, ante finem saeculi primi Christiani epistolam nostram scriptam esse, in quo martyria tot et tantorum virorum acciderunt, nominatim Apostolorum nonnullorum ἐκκλησίας στύλων. Quod etiam exemplo alio affirmat Lechler, in opere laudato pag. 309, nota 2, ubi videatur quod ex Eusebii historia de Hegesippi testimonio affertur, quod cum ordinaria et nostra sententia convenit.

Adsunt praeterea notae omnes, quae primum saeculum redoleant. Jam in capite de S. S. usu vidimus, ep. n. V. T. sec. Versionem Alexandrinam citare, atque locos libere saepe, nec raro plures conjunctim ad suum consilium adhibere, plane ut N. T. scriptores fecerant. Tum Jesu effata ex memoria traduntur, non ex Evangelio quodam scripto, atque Apostolorum epistolae notae quidem videntur auctori nostro, sed in ejus manibus eas fuisse non constat, praeter Pauli primam ad Corinthios et epistolam ad Hebraeos. Porro V. T. auctoritas summa in rariore N. T. usu probat tempus scribendi fuisse, quo Canon Evangelicus nondum aderat, qui postea demum constitutus est. Neque eo modo, quo postea saepe factum est, exempla ex C. S. tamquam definitae fidei formulae proponuntur, quamquam saepissime ad vitae normam dandam lectoribus citantur, quod primis post Christi vitam temporibus ex rei natura fieri debuit, in primis quod ad Christi ipsius exemplum attinet. Pura enim in ep. n. moralis indoles et vere Evangelicus character invenitur; Christi in terrestrem vitam adventus commendatur in ea, tanquam et ad purgandam vitam humana-
m a peccatis hominisque mentem illustrandam et ad nos ad coelestes res evehendos a terrestribus negotiis utilis,

quae tamen negotia secundum Domini exemplum ordine et industria obeunda sunt. Evangelii quasi spiritus, benefica Apostolorum animi simplicitas auctorem nostrum imbuit, qua repletus talia scribere potuit, qualia vidi-
mus, monita. Mihi quidem haec omnia ad Apostolorum non longe remotum successorem referenda esse persuasum est. Quibus causis accedit dogmaticum ipsum ep. n. propositum. Quod jam supra vidimus primo post Christum saeculo magnopere convenire ob puritatem, simplicitatem et philosophiae omnis absentiam in doctrina. Neque placita post primum saeculum orta nobis objici possunt, neque metaphysicae definitiones recentioris aevi, neque S. S. abusus ad probanda dogmata, qui viguit a tertio inde saeculo. Atque ardor pro Christi causa adest; hominis pravitatem secundum Evangelium docet, sed de peccato haereditario ne verbum quidem legitur; ecclesiae bona piae omnibus laudantur, nec tamen intra ejus limites salus absolute restringitur. Nonne hae Evangelio convenientiunt sententiae? Et quo purius N. T. traditur doctrina, eo propius ad Christum accedit scriptio-
nisi tempus; quum sensim eam degeneratam esse historia dogmatum, eheu! luce clarius doceat. Ecclesiae conditio proponitur in ep. n. ab hierarchia libera, quae cito eam deformavit; ordo tamen et regimen ut necessariae res praescribuntur; quae urget auctor pro singulari consilio suo. Sic igitur ante finem saeculi primi scripta esse mihi videtur ep. n., sed annum accurate definiri non posse credo; quia certae desunt notae, quas neque auctoris persona praebet, ut caput sequens docebit. Quare circa annum 90 eam scriptam esse statuerim, sicut plurimi faciunt historici.

CAPUT SEPTIMUM.

DE VIRO, CUI EPISTOLA NOSTRA TRIBUITUR.

Ep. n. vulgo auctori tributa est Clementi Romano. Cujus ecclesiae Romanae Episcopi persona multa dubia historica excitavit. Difficillimum erit de eo certas nobis comparare notitias, quia universe mythus et traditio a pura historia saepe non sine magna opera distinguuntur, ac Clemens singulatim ex pure historico fonte non facile cognosci potest. Neque ex ep. n. de scriptore quidquam apparet. Quare testimonia, quae fide digna nobis videntur, colligamus, atque ita auctorem n. indagemus. Sic sensim, traditionibus missis et falsis narrationibus, variisque V.V. D.D. sententiis judicatis, veram viri eximii imaginem ante oculos habebimus. Quae disquisitio non solum ad ep. n. explicationem utilis est, sed ob venerationem etiam, quam Clementis Romani nomen coluerunt Christiani, universe historici momenti maximi est.

Prima hujus nominis mentio facta est ep. Pauli

ad Philippenses cap. IV vs. 3, ubi sic legimus: *καὶ ἐρωτῶ καὶ σὲ, σύζυγε γυνήσιε, συλλαμβάνου αὐτοῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθησάν μοι, μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου, ὃν τὰ δύδματα ἐν βίβλῳ ζωῆς.* Clementem Romanum nostrum ibi significari jam multi Patres Ecclesiae affirmarunt. Sed ab Origene inde orta illa opinio, quam Hilgenfeld et Ritschl refutarunt, item Hefele, in Prolegomenis ad editionem 3 Patrum Apostolicorum, pag. XIX seq., mihi errare videtur. Nam Clemens Romanus semper Romae civis habetur, quum l. l. ep. ad Philippenses Pauli comes et Philippensem urbis civis significetur. Nonne duo viri illius nominis et auctoritatis primo saeculo Christiani esse potuerunt? Neque ullo argumento laudato ex loco eundem fuisse utrumque probari potest. Vid. etiam Hilg. l. l. pag. 95 infra et Ritschl l. l. pag. 284, a quibus clare probatur, meram hanc esse conjecturam, qua Baurus et Schweglerus aliqui usi sunt, ut ep. n. authentiam impugnarent.

In Hermae Pastoris libri I visionis II cap. 4 haec legimus: «Scribes autem duos libellos καὶ δώσεις ἐν Κλήμεντι etc. Κλήμης δὲ πέμψει εἰς τὰς ἔξω πόλεις.» H. l. verosimiliter noster Clemens memoratur, quia Pastoris liber Romae scriptum se praebet, vid. Hilg. l. l. pag. 158 infra seq. Vid. et Vis. I initium aliique loci Pastoris, unde Romae eum scriptum esse patet. Hermas autem in ep. ad Rom. cap. XVI vs. 14 jam memoratur, atque igitur tempus scripti Pastoris, quod vulgo saeculi secundi initium statuitur¹⁾, cum Cle-

1) Vid. Hilgenfeld, l. l. pag. 160 seq. et Hefele l. l. pag. LXXXIV

mentis tempore vulgo sumto (primi saeculi fine) ita convenit, ut noster Clemens esse potuerit. Nec tamen verba illa mihi id, quod Hilg. l. l. pag. 96 inde efficit, indicare videntur. Nihil enim de episcopali ejus dignitate lego, neque Clementem Romanam ecclesiam una cum Herma rexisse ibi invenio; ubi tantummodo haec dicuntur: Clementi (tamquam Christiano etiam ipsi ardore pro Christi causa pleno) libros mitte, quos scribes, qui ad exterias civitates eos mittet.

Clemens porro cognoscitur ex *Recognitionibus Pseudo-Clementinis*, ut vulgo nominantur. Harum enim libro septimo, qui Petri comes in libris sex primis erat, prima narrationis persona fit. Ibi nempe dicitur Clemens matrem et fratres, quin etiam patrem Faustum sive Faustianum invenisse. Vid. *Recogn.* l. VII, cap. 8¹⁾. Sic etiam in *Homiliis* imperatorio genere ortus ac versatus cum Petro nobis depingitur idem, quem Apostolus ille successorem sibi elegerit. Vidd. *Homil.* IV—VI, et XII, XIII. Sed in altero opere ex *Pseudo-Clementina litteratura superstite*, in *Constitutionibus Apostolicis Clementem* (Vid. libri VI, cap. 8) narratur Paulo auxilium praebuisse in Evangelio annuntiando, atque post Linum, primum Episcopum Romanum, secundus ille vocatur, vid. libri VII cap. 46. Itaque inter has etiam narrationes discriben intercedit, sed ex omnibus sequitur Clementem Petri discipulum fuisse, a quo etiam

seq., ubi ad medium saeculum secundum refertur Pastor. Sed sic etiam idem Hermas senex scribere potuerat, quae juvenis jussus erat Clementi nuntiare.

1) De his accurate Hilgenfeld in opere: *Die Clementinischen Recognitionen und Homilien*, pag. 172 seq.

Episcopus Romae sit creatus. In his judicandis observandum est in primis, de origine eorum scriptorum minime constare, sed a plurimis ea fabulis repleta censi ac recentiore tempore orta. *Recognitionibus* fidem historicam abjudicat Hilgenfeld, in opere laudato de eo libro pag. 186, ubi sic: „Man wird nicht irren, „wenn man die Auffassung dieser anmuthigen Erzählung „mit der Bildung des Valentinischen Systems gleichzeitig setzt.” Deinde sic ille: „Narratio ea habet seriorum redactionem traditionum primi ecclesiae temporis.” Eodem modo authentiam *Homiliarum* negat V. D. pag. 304 seq., atque eas tempore Antonini Pii imperatoris redactas esse putat, vid. pag. 306 supra l.l. — Ritschl l.l. pag. 153. *Recognitiones* et *Homilias* documenta habet Judaeo-Christianismi Postapostolici. Pag. 194 seq. etiam ea scripta medio saeculo secundo una cum Gnosticis systematibus orta esse putat, atque iis authentiam denegat. *Constitutiones Apostolicas* autem in Pseudonyma censem litteratura pag. 598 seq., atque assentitur clarissimo Viro Drey, eas saeculi tertii partis posterioris opus esse ob dogmaticum, morale, hierarchicum argumentum. Pseudo-Clementina haec scripta Schweglerus singulari consilio quodam scripta contra Paulum in Ebionitismi commodum putat, neque iis historicam tribuit fidem. In opere supra laudato V. D. Lechler pag. 288 seq. sic fere de Pseudo-Clementinis judicat: Polemica in iis ratio viget contra Paulum, *Judaismi* vestigia insunt. Character *Mosaismi* regnat: legi obediatur oportet, vid. pag. 291 supra. Eorum conscriptio circa saeculum secundum medium poni debet, vid. pag. 293 infra. Semisch in opere: *Die Apost. Denkwürdigkeiten des M. Justins* 1848,

pag. 358 *Homilias* (quae cum *Constitutionibus* et *Recognitionibus* quod ad argumentum conveniunt) vocat: „Einen Tendenzroman, der aber für authentische Geschichte gelten will, indem er das eigenthümliche System des Verfassers und seiner Partei in die Apostolische Zeit zurückverlegt, und in Vorträgen des Petrus entwickelt.“ Ex quibus diversis adeo plurium sententiis, quas ob difficultatem disquisitionis historico-criticae de Pseudo-Clementinorum origine et indole retulimus, sequitur manifesto, horum scriptorum de Clementis persona narrationem non magnam vim habere posse historicam, ac per traditionem saltem corruptam esse.

In Pseudo-Clementinis universe Clemens cum Petro Apostolo conjungitur, quod cum eorum Paulo adversante consilio dogmatico convenit. Si posteriore aevo conglutinata sunt ex diversis traditionibus, constat nihil inde effici posse, cum praesertim fabulosam indolem prodant. Quare non intelligo, quomodo V.V. D.D. tantam operam navarint, ut probarent auctoris n. Paulinismum non impedire, quominus hic sit Clemens Romanus¹⁾. Quod per se jam nobis non ita difficile esset, quia particularem Paulinismum in ep. paucis exceptis locis vigere non videmus prae Christianismo universo. (Vid. caput de dogmatica ep. indole). Sed id nobis facile intellectu videtur, quia Clementem magnam primis saeculis auctoritatem habuisse certum est, quare talem virum sibi vindicare cuperet ecclesia Romana, (cujus fundatio cum mytho de Petro, primo episcopo, copulata est) atque eum Petro adjunctum ei successisse

1) Vid. Hilg. l. l. pag. 95 infra pag. 98, Ritschl l. 1. pag. 283.

statueret. Sed jam satis. Apparet manifesto ex narrationibus illis, Clementem ex nobili genere natum ecclesiae Romanae praefectum fuisse, atque id quidem non ita diu post fundatam ecclesiam. Sed plura efficere non licet ex Pseudo-Clementinis, quia caeteroquin periculum est, ne ornatae historiae ornamenta pro veris habeamus. Sed cum his arcto vinculo conjuncta est quaestio de episcopis primis Romanis, utrum Clemens primus, an secundus fuerit? De hac re, ut vidimus, differunt *Constitutiones a Recognitionibus*; ambae vero episcopum eum fuisse tradere non dubitant. Atque hanc rem porro disquisitio nostra tractabit, quia posteriores Patres Ecclesiae cum alterutra sententia fecerunt. Videamus igitur.

Jam testimonia historica de Clemente haec adsunt: Clemens Alexandrinus magnum fecit usum ep. n., quam permultis locis citat, cuius auctorem capite 17 libri IV *Stromatum* Apostolum vocat. Origenes quoque Clementem Apostolorum discipulum vocat, eumque a Petro didicisse narrat: περὶ ἀρχῶν l. II cap. 3, 6. In primis autem Irenaeus, ep. n. Clementi tribuens, de hujus persona definitam sententiam fert: *Adv. Haer.* l. III cap. III, 3: μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, οὐ καὶ ἔωρακὼς τοὺς μακαρίους ἀποστόλους καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς καὶ ἔτι ἔναιντον τὸ κύριγμα τῶν ἀποστόλων καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ διθάλμων ἔχων, οὐ μόνος· ἔτι γὰρ πολλοὶ ὑπελέποντο τότε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων δεδιδαχμένοι. En igitur clarum etiam de tempore Clementis testimonium; cum tertium post Linum primum et Anacletum secundum episcopum illum habeat. Etiam ab Apostolis Petro et

Paulo Linum institutum esse ibi dicit¹⁾ Irenaeus. Hic igitur Pseudo-Clementina minime sequitur, sed breviter et probabiliter rem describit. Quocum tamen historicō ceteri testes fide digni minime convenient, ut patebit. Hieronymus Clementem vel quartum Episcopum post Petrum, vel proximum ejus Apostoli successorem haberi narrat in *Catalogo ecclesiae scriptorum* c. 15: "Clemens," ait, "quartus post Petrum Romae episcopus; siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus; tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem." Hieronymus igitur vel primum episcopum Clementem habet, vel tertium post ecclesiam Romae fundatam illius episcopum; nam ex verbis citatis non manifeste caussa apparet, quare Hefele (pag. 21 n. 1 Prolegomenorum) et Hilg. l. l. pag. 94 diversam ex iis duxerint sententiam. Sed ego cum Hilgenfeldio *Latinorum plerorumque* opinionem illam a vera historia aberrare puto. Verba, quae Hefele l. l. n. 1 memorat, citata ex annotationibus Hieronymi ad Jesaiae vaticiniorum cap. LIII: "Et Clemens, vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam ecclesiam rexerit, scribit ad Corinthios," minime probant eum Clementem proximum Petri successorem habuisse. Sed, si vel probent, tamen cum Hilg. l. l. pag. 94 facio, ex talibus locis patere statenti, Hieronymum postea sententiam mutasse. Illius etiam verba *adv. Jovinianum* l. I cap. 7: "Clemens ubi successor Petri vocatur, cuius Paulus Apostolus meminit," litem non dirimunt. Hieronymus enim

1) Vid. Hefele l. l. pag. XXI infra.

aeque atque alii multi Ecclesiae Patres, Clementem eundem putat esse, quem Paulus ad Philipp. cap. IV vs. 3 memoravit; quem errorem supra jam attigi. Tertullianus *de praescript. haeret.* capite 32 haec habet: "Hoc enim modo ecclesiae Apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Johanne conlocatum referet, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum, id et proinde ceterae utique exhibent, quos Apostoli in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant." Ille igitur Clementem a Petro ordinatum habet, cuius successorem eum ponit; — atque sic confirmat verba supra citata Hieronymi. Sed Augustinus et *Catalogus Romanorum Pontificum*, a Bollandistis editus (Vid. Hefele, l. l. pag. XXI, n° 2) censem, Clementem nostrum Lino demum successisse. Atque Optatus Milevitanus libro II sic habet: "Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus." Qui igitur, alio plane modo ac ceteri Latini Patres secundum Hieronymum, de hac re statuerunt. Rufinus ab Aquileja, in praefatione *Recognitionum* ad Gaudentium scripta, sic quidem disputat: "Cujus rei hanc accepimus esse rationem, quod Linus et Cletus fuerunt quidem ante Clementem in urbe Roma episcopi, sed superstite Petro, vide licet, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse vero Apostolatus impleret officium. Sicut invenitur etiam apud Caesaream fecisse: ubi cum ipse esset praesens, Zachaeum tamen a se ordinatum habebat episcopum. Et hoc modo utrumque verum videbitur: ut et illi ante Clementem numerentur Episcopi, et Clemens

"tamen post obitum Petri docendi suscepit sedem." Sic quidem hic duas traditiones conjungere vult, atque Clementem Apostolorum comitem alio loco vocat, vid. Hilgenfeld l. l. pag. 98 supra.

Fuerunt igitur multi interpres antiquorum et recentiorum temporum, qui diversas has sententias ita compонerent, ut conjicerent Linum et Cletum, viventibus adhuc Apostolis Paulo et Petro, Romanae ecclesiae fuisse episcopos, Clementem vero, illis Neronis persecutione martyrum morte necatis, a Petro in episcopatu esse constitutum¹⁾. Epiphanius *adv. Haeres.* XXVII n. 6 conjecturas etiam quasdam, ut ambas opiniones conjungeret, prodidit. Ex ep. n. capite LIV. concludit Clementem pacis causa Lino et ejus successori Cleto cessisse, quamvis a Petro ipse esset institutus. Clemens fuit σύγχρονος Πέτρου καὶ Παύλου sine ullo dubio; sed potest etiam ita res informari: ὅτι μετὰ τὴν τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν ὑπὸ Κλήτου τοῦ ἐπισκόπου οὗτος καθίσταται, quibus verbis addit: εὐ πάντι συφᾶς ἴσμεν. Enimvero Linus et Cletus duodenos uterque annos regimen ecclesiae habuit, atque igitur, licet a Petro creatus sit episcopus, Clemens post viginti quatuor demum annos illo munere fungi inceperit. Tamen successor proximus Petri fuisse ab Epiphanio dicitur, quod attinet ad institutionem et dogmaticum consilium in ecclesia²⁾. Sed omnes hos episcopatus tempora conciliandi conatus Eusebii refellit auctoritas. Hic enim *Historiae Ecclesiasticae* libro III Clementis episco-

1) Vid. Hefele l. l. pag. XXII, n° 4.

2) De his vid. omnino Hilg. l. l. pag. 94 supra et n° 6.

patum sub Domitiano et Trajano imperatoribus collocat; quem etiam tertium post Linum et Anencle-
tum ecclesiae Romanae praefectum fuisse docet. Atque
accurata apud eum temporis illius computatio invenitur,
quae cum Irenaei narratione fere convenit. Primum
enim de Clemente Eusebius haec tradit, Capite 4
Libri III: Λίνος δὲ οὗ μέρυνται συνόντος ἐπὶ Ῥώμης
αὐτῷ κατὰ τὴν δευτέραν πρὸς Τιμόθεου ἐπιστολὴν, πρῶτος
μετὰ Πέτρου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν ἥδη
πρότερον πληρωθεὶς δεδήλωται. Ἀλλὰ καὶ ὁ Κλήμης τῆς
Ῥωμαίων καὶ αὐτὸς ἐκκλησίας τρίτος ἐπίσκοπος κατα-
στάς, Πάυλου συνεργὸς καὶ συναδικής γεγονέναι πρὸς αὐ-
τοῦ μαρτυρεῖται. Ex his jam appareat eum Linum pri-
mum, atque Clementem tertium Romanae ecclesiae
rectorem habuisse, quem Pauli acqualem et adjutorem
etiam eum censuisse, aliis ex locis manifesto nobis ap-
parebit. Annorum autem justam definitionem invenimus
ejusdem libri III capite 13, ubi haec narrantur: Quum
Vespasianus imperator decem annos regnaverat, Ti-
tus ejus filius ei successit, οὗ κατὰ δεύτερον ἔτος τῆς
βασιλείας Λίνος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας δυοπα-
δεκα τὴν λειτουργίαν ἐνικούσης κατασχὼν Ἀνεγκλήτῳ ταῦτην
παραδίδωσιν. Post Titum vero δύο ἔτεσι καὶ μησὶ τοῖς
ἴσοις βασιλεύσαντα regnum suscepit ejus frater Domitianus.
Quo cum loco si annorum definitionem copu-
lamus, quam capite 15 invenimus, facile erit Eusebii
de primorum episcoporum Romanorum annis sententiam
cognoscere; aliis etiam collatis locis. Sic enim ejus-
dem libri tertii capite 15 legimus: Δωδεκάτῳ δὲ ἔτει
τῆς αὐτῆς ἡγεμονίας (ubi Domitianī regnum signifi-
cari ex capite 14 apparent) τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας Ἀνέγ-

κλητον ἔτεσιν ἐπισκοπεύσαντα δεκαδύο διαδέχεται Κλήμης.
Ον συνεργὸν ἑαυτοῦ γενέσθαι φιλιππησίοις ἐπιστέλλων ὁ
ἀπόστολος διδάσκει λέγων· Philipp. cap. IV vs. 3. Tan-
dem ejusdem libri III capite 34 haec narrat Euse-
bius: τῶν δὲ ἐπὶ Ρώμης ἐπισκόπων ἔτει τρίτῳ τῆς
τοῦ προειρημένου βασιλέως ἀρχῆς (quam ἀρχὴν Trajani
fuisse imperium patet ex capite proxime antecedente),
Κλήμης Εὐαρέστῳ παραδόντες τὴν λειτουργίαν, ἀναλύει τὸν
βίον, τὰ πάντα προστὰς ἔτη ἐννέα τῆς τοῦ θελού λόγου
διδασκαλίας.

Jam in antecessum monendum est Eusebium capite 15 dilucide affirmare hunc Clementem eundem esse, quem Paulus in ep. ad Philippenses memorat. Non igitur cum Petro, sed cum Paulo constanter Clementem conjungit, quum e contrario sicut vidimus Pseudo-Clementina a Petro eum institutum esse in episcopatu narrent. Hic vero Historicus Ecclesiasticus eum bis Pauli adjutorem vocat (capp. 4 et 15 libri III). Sed jam de episcopatūs aetate videamus. Caput 15 anno duodecimo imperatoris Domitiani Clementem Anen-
cleto successisse docet; qui per duodecim annos sedem Romanam tenuerat. Ex historia Romani imperii con-
stat Domitianum regnasse ab anno 81 usque ad an-
num 96 p. Chr. n. Quare Clementem anno 93 p. Chr.
episcopatum suscepisse ab Eusebio narratur. Atque
ab eo etiam de annorum numero, per quos Episcopus
fuerit, clare docemur: capite enim 34 (libri III) legimus
Clementem diem obiisse supremum, atque ei Euare-
stum successisse anno tertio regnantis Trajani. Tra-
janum historia docet imperium Romanum tenuisse anno
98—117 p. Chr., ita ut Clementis ex vita decessus

anno 101 ponendus sit¹⁾). Sub Clementis episcopatu Domitiani persecutio locum habuit, quae fortasse ep. nonnullis locis significatur, capite singulatim V et VI. Nam Eusebius, quum capite 17 περὶ τοῦ κατὰ Δομετιανὸν διωγμοῦ egisset, capite 18 ejusdem libri III loquitur de consulari Flavio Clemente martyre et de Domitillae uxoris exsilio in insulam, Κλήμεντος ἐνδε τῶν τηνιάδε επὶ Ρώμης ὑπάτων²⁾. Sed ex memoratis Eusebii etiam locis efficere possumus primorum, quos fuisse putat, episcoporum Romanorum annos. Capite enim 15 Anencletum duodecim per annos sedem Romanae ecclesiae occupasse legimus, quem igitur episcopum fuisse ab anno 81 usque ad a 93, atque sic per duodecim primos Domitiani imperatoris annos ecclesiae praefuisse appareret, atque institutum esse cum regnum adiret Domitianus³⁾, quod sic narrat Eusebius: Δωδεκάτῳ δὲ ἔτει τῆς (Δομετιάνου) ἡγεμονίας, — τὸν Ἀνέγκλητον ἔτεσιν δυοκαιδέκα επισκοπεύσαντα. Capite 13 libri III legimus, Linum post duodecim quoque annos episcopatum suum Anencleto tradidisse; quare Linum, primum Romanae praefectum ecclesiae, ab anno 69 usque ad annum 81 p. Chr. sedem Romanam tenuisse Eusebius docet. Primus sic episcopus fuit institutus anno

1) Non intelligo quo jure Hilgenfeld l. l. pag. 93 media Clementis episcopatum ad annum 91 vel 92 usque ad annum 100 retulerit, idque secundum Eusebium, ex cuius historia meam duxi computationem.

2) Posset tamen hic alias Clemens esse, nam ex imperatorio genere dicitur ab Eusebio fuisse, neque eandem rem de n. Clemente narrat. Vid. Hilg. l. l. pag. 97 supra et nota 9.

3) Vel potius, sicut cap. 13 nos docet, ultimo Titi imperantis anno, qui regnavit ab a° 79—81, secundo igitur ejus anno.

duodecimo ante Domitianus ad imperium adventum, quo ipso tempore imperator creabatur Vespasianus, qui ab anno 69 usque ad annum 79 regnavit. Itaque episcoporum plena historia nobis data est ab Eusebio in *Historiae Ecclesiasticae* libro III, neque alias quisquam tam accurate omnia ea facta narrat. Sic igitur trium primorum episcoporum Romanorum seriem informare licet: Linus 69—81 (sub Vespasiano et Tito), Anencletus 81—93 (sub Domitiano), Clemens 93—101 (sub Domitiano, Nerva et Trajano imperatoribus), cui Euarestus successit, ecclesiae Romanae praefuerunt. Atque haec Eusebii narratio optime cum Irenaei computatione convenit, de qua jam vidimus. Sed ille tantummodo nomina citat (Linum, Anencletum et Clementem), neque annos addit, per quos quisque eorum regnaverit. Eusebius nihil narrat de institutione eorum ab Apostolis, quam tamen Irenaeus memorat, vid. *adv. Haer.* l. III cap. 3. Licet igitur difficile sit hac in re sententiam alterutrius historici amplecti, videmus tamen Eusebium accuratissime hanc rem testigisse, ceteros contra, qui ab eo discedunt, minus definite minusque accurate opinionem suam pronuntiasse. Hieronymus autem (ut supra vidimus) Eusebii narrationi universe consentiens, plurimos Latinos Patres Clementem Petri successorem habuisse tradit¹⁾. De conatibus etiam diversas sententias conciliandi egimus. Jam plurimorum eorumque fide dignissimorum hac in re testium sententiam amplectimur. Quae quidem non

1) Jure quaeri potest, qui sint illi patres, quorum solus Tertullianus nobis notus est. Tali effato certam tribuere non possumus auctoritatem.

omnium eorum plane eadem est, sed unum tamen ponere videtur fundamentum historicum. Sunt qui Lino Clementem successisse narrent, quos citat Hefele l. l. pag. XXI n° 2. Sed Linum et Anacletum ante Clementem ponunt Irenaeus, Hieronymus, Eusebius, Rufinus et Epiphanius, vid. supra. Jam ratione etiam habita Pseudo-Clementinorum narrationis atque Patrum, qui eam secuti sunt, primaevam ecclesiae Romanae conditionem minime claram esse appetet, neque de regiminis ejus ratione constare. Atque etiam de Petri et Pauli fatis in urbe Roma adhuc disceptari supra vidimus. Quare incertiores tantummodo fidem adjungere nos oportet rerum a Clemente gestarum relationibus quas exposuimus. Nam Pseudo-Clementinorum e. g. traditio, quae ex saeculo secundo vel tertio superest, docet quidem eo tempore qualem Clementis imaginem ecclesia sibi informaverit, minime vero lucem dare potest tenebris illis, quae primum saeculum obscurant. Si autem verum est, consilio quodam polemico contra Paulum atque in Petri ideo gratiam ea scripta facta esse, ejusmodi narrationes in sententiam nos adducunt, Clementis institutionem in episcopatum eodem consilio factam esse, ut nempe Petri in ecclesia Romana auctoritas cresceret. Sic fieri potuit, ut Linum et Anacletum omittens mythus de Clemente talia tradiceret, cui epistola tribuebatur vulgo notissima atque habita praestantissima. Sed adsunt aliae causae, cur horum temporum caliginem plene dispellere non possimus. De episcopatus scilicet in ecclesia Christiana origine, de modo et tempore quo ortus sit, etiamnunc disceptatur. Atque hoc non mirum mihi videtur, quia regiminis for-

ma sensim sine dubio orta et sensim progrediente tempore mutata est. Sicut Christus ipse ecclesiam non condidit, sed coelestem civitatem in terra fundavit, ita de coetum gubernatione nihil discipulis praescripsit. Quum tamen una cum propagatione ecclesiae externa quaedam societatis conformatio necessaria fieret, Apostoli jam diaconos et presbyteros instituerunt. Sic paulatim democracia, quae viguerat, in aristocratiam transiit, quae postea saeculorum decursu in oligarchiam, quin etiam in hierarchiam, eheu! transformata est. Sed initio saltem discrimin non erat *Clerum inter et Laicos*. Atque diversi saltem clericorum ordines primi saeculi notas non prae se ferunt. Quum regiminis ecclesiastici conformatio externa desideraretur, ex Judaica Synagoga plurima desumerunt Christiani. Apostolica tamen aetate Presbyteris coetum cura adhuc demandata erat, tamquam primis inter pares. Neque unius episcopi super presbyterium collocati auctoritas tunc instituta erat, sed iidem erant Episcopi et Presbyteri. Quod etiam nostra ponit epistola, ut vidimus supra. Postea sensim a Presbyteris discernebantur Episcopi, quum, ad Cultum Mosaicum composita ecclesia Christiana, magis magisque sacerdotium inde desumeret. Ecclesiae unius notio atque hierarchia inde orta post Cyprianum demum ab historia memoratur. Capite secundo vidimus Rothium ex ep. n. unum eo tempore episcopum fuisse concludere, cuius vero argumenta refutare conati sumus. Atque ei assentiri non possumus quaestionem totam eo solvi argumento dicenti, quod Clemens ep. auctor ipse Episcopus Romanus ad Corinthios scripserit. Neque enim tamquam episcopum eum scripsisse, docet ep. Neque verbum

ἐπισκόπος urgendum est, quia et in ep. n., et in aliis illius temporis scriptis vox *ἐπισκόπη* de Presbyterorum quoque munere usurpabatur. Sic apud Eusebium ipsum de universa quidem vocum significatione, minime vero de speciali *ἐπισκόπου* et *ἐπισκοπῆς* vi constat. Nonne igitur fieri potuit ut diversae narrationes inde exsisterent, quod secundum nonnullos Linus et Anacletus proprio sensu dicti Episcopi jam fuerint, alii contra putarint Clementem n. primo loco vere sedem Romanam tenuisse? Praeterea supra jam monuimus eorum patrum, qui de Clemente agunt, tempore studium polemica ratione Petri auctoritatem augendi viguisse; quare insigni de Clemente ab eo constituto in episcopatu narratione eum Apostolum ornabant. Quibus accedit, quod Eusebius historica fide p[re]a ceteris valeat, cui etiam plurimi assentiuntur parvo cum discriminē, quodque illi, qui aliam sententiam proferunt, mythum Pseudo-Clementinum fortasse secuti sint. Quidquid sit, mihi narratio Eusebii magnopere placet ob simplicitatem, perspicuitatem et auctoritatem, qua de primis Romae episcopis refert. Atque sic quidem Clementem n. sub Domitianō, Nerva et Trajano imperatoribus ab anno 93 usque ad 101 p. C. n. Ecclesiae Romanae praefuisse, cum historico illo censeo¹⁾. Quibus convenit optime tempus scribendi, quod superiore capite probavimus ex ep. ipsa fuisse ante saeculi primi finem.

1) Minime cum V. D. Hilgenfeld l. l. pag. 99 supra, facio, qui putat ex narrationibus tantopere sibi oppositis nil certi deduci posse. Cui igitur Eusebii auctoritas non multum valere videtur. Atque sic quoque Hefele l. l. pag. XXIII n° 4 supra.

CAPUT OCTAVUM.

PISTOLAE AUTHENTIA.

Interna argumenta, quae Clementi Romano epistolam tribuendam esse doceant, partim jam enumeravimus, partim hoc in capite exponemus. Verum externis etiam multis testimoniosis ejus authentiam confirmari ut pateat, jam Patrum ecclesiae de ea locos indagemus.

Per totam fere antiquam Christi ecclesiam epistola Clementis commemoratur, cuius scriptae opportunitas, consilium et argumentum inde apparent. Omnes Patres de ea magna cum laude loquuntur, atque plerique eam Clementi Romano tribuunt, nonnulli publice eam praelectam esse affirmant. Sed de singulis videamus. Polycarpus in epistola ad Philippenses ep. n. saepius citat vel liberius respicit. Nonnullos locos verbotenus ex ea transtulit, vid. Hefele in Prolegomenis ad Ed. Patrum Apostolicorum tertiam pag. XXVII seq.; quare Gallandius et Hefele ipse putant, ep. n. ei in ma-

nibus fuisse. Hilgenfeld l. l. pag. 92 med. hocce testimonium Clementis nomen minime nuncupare urget, neque quidquam valere, nisi de Polycarpi authentia constet. Quam ipse quidem negat, Hefele vero, l. l. pag. LXVII, praeeunte Le Nourry defendit. Certe internis notis concinentibus et externis argumentis ep. Polycarpi a plurimis genuina habetur¹⁾. Neque nomen Clementis refertur, quia ep. illius verba cum suis conjugens auctor, unde ea petita sint, notum esse fontem ponit, neque igitur diserte sibi dicendum putat. Irenaeus *adv. Haer.* libro III cap. 3 n. 3, Clementem tertium Romae episcopum Apostolorumque aequalem memorans, de ep. n. haec addit: "Ἐπὶ τούτου οὖν τοῦ Κλήμεντος στάσεως οὐκ διλγητοῖς τοῖς ἐν Κορίνθῳ γενομένης ἀδελφοῖς, ἐπέστειλεν ἡ ἐν Πόμη ἐκκλησία ἵνανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις, εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα αὐτοὺς, καὶ ἀνανεοῦσα τὴν πίστιν αὐτῶν, καὶ ἦν νεωστὶ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει." Haec sane optime respondent ep. n. indoli, quam igitur cognovisse Irenaeus mihi videtur. Ex iis tamen quod ad auctorem Clementem nil certi sequitur, quia verba ἐπὶ τούτου etc. tantum eam scriptam esse indicant sub ejus episcopatu, Romanamque ecclesiam eam misisse ad Corinthiam. Clemens Alexandrinus in primis saepe ep. n. utitur, cuius permultos laudat locos. *Stromatum* enim libri I cap. VII legimus, Clementem scripsisse in ep. sua ad Corinthios, ut lites ibi ortas componeret: "Ητω τις πιστὸς, ἢτω δυνατός τις γνῶσιν ἔξειπεν, ἢτω σοφὸς ἐν διαιρί-

1) Vid. omnino accurata et docta disquisitio apud Ritschl l. l. pag. 604 seq.

σει λόγων, ἦτω γοργὸς ἐν ἔργοις. Quae verba ep. n. capite XLVIII leguntur, atque a Clemente Alexandrino etiam *Stromatum* libri VI capite 8 afferuntur. Ejusdem operis libri IV cap. 17 dicit Clementem Apostolum in ep. sua ad Corinthios typum Gnosti proposuisse: τίς γὰρ παρεπιδημήσας πρὸς ὑμᾶς et caetera, quae in capite primo ep. n. leguntur, ubi plurima ejus capita excerptis: IX, X, XI, XII, XVII, XVIII, XXI, XXII, XXXVI, XXXVIII, XL, XLI, XLVIII, XLIX, L, LI et LIII. *Stromatum* libri V capite 12: Ἀλλὰ καν τῇ πρὸς Κορινθίους Ῥωμαίων ἐπιστολῇ· Ὡκεανὸς ἀπέραντος ἀνθρώποις γέγραπται καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι. Hic enim ep. n. caput 20 significatur — atque l. VI cap. 8 ex fine capitinis 48 ep. n. haec laudat: τοσούτῳ γὰρ μᾶλλον ταπεινοφρονεῖν διείλει, ὅσῳ δοκεῖ μᾶλλον μείζων εἶναι, δι Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους Φησί. Ex eodem capite medio libri I capite 7 regium ad vitam aditum verbis hisce describit: Αὕτη ἡ πύλη τοῦ Κυρίου et caetera. Clementem igitur Alexandrinum ep. n. integrum, sicut nos eam habemus, in usum suum adhibuisse certo certius his ex locis apparent.

Sic etiam Origenes eam cognovit, cuius caput XX περὶ ἀρχῶν libri II cap. 3 n° 6 memorat, et eundem illius locum de *Oceano* in ejus commentario ad Ezechielis vaticinia capite 8 legimus: Ὡκεανὸς ἀπέραντος ἀνθρώποις, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι τοσαύταις διαταγαῖς τοῦ δεσπότου διοικοῦνται.

Cyrillus Hierosolymitanus ex ep. n. capite XXV fabulam de *Phoenice* tamquam Clementis verba continentem citat, *Catech.* XVIII cap. 8.

Epiphanius ex capite LIV ep. n. haec verba sumvit:

Αναχωρῶ, ἀπειμι, ἐνσταθήτω ὁ λαὸς τοῦ θεοῦ, quae Clementi tribuit *Haer.* XXVII n° 6. Hic jam, *Haer.* XXX n° 15, discrimen attendit inter authentica Clementis scripta (ἐπιστολῶν ἐγκυρωτῶν τῶν ἐν ταῖς ἀγίαις ἐκκλησίαις ἀναγνωσκομένων), quae epistolae igitur in ecclesiis praelegebantur publice, et inter spuria Ebionitica Pseudonyma, e. g. Πέτρου περιόδους, quae scripta injuria Clementis nomini supposita sunt. Tum etiam ep. n. legit Hieronymus; dicit enim *Catalogi script. eccl.* capite XV: „Scripsit (Clemens) ex persona Romanae ecclesiae ad Corinthiorum ecclesiam valde utilem epistolam, „quae et in nonnullis locis publice legitur, quae mihi „videtur characteri epistolae, quae sub Pauli nomine „ad Hebraeos fertur, convenire. Sed et multis de eadem „epistola, non solum sensibus, sed juxta verborum quo- „que ordinem abutitur.” Porro in Commentariis etiam nonnulla ep. n. capita ita citat, ut epistolae, qualem nos eam habemus, plane convenient, vid. Hefele l. l. pag. XXX.

Ex his igitur testimentiis sequitur, hos Patres ep. n. non solum cognovisse et legisse, sed etiam magni aestimasse; ecclesiasticam auctoritatem ei tribuisse, quippe quae publice praegeretur; eam distinxisse a *Clementinis* Pseudonymis, atque eam plane eadem forma conscriptam possedisse, qua nobis etiamnunc in manibus versatur. Praeterea alia sunt de ep. n. veteris ecclesiae testimonia, e. g. Photii et Basilii. Sed haec jam sufficient, ut intelligamus, quali auctoritate ep. n. primis post Christum saeculis usa sit, et quali consensu praestantissimum illud aetatis et indolis Apostolicae monumentum sine ulla dubitatione Clementi, Apostolorum discipulo

episcopoque Romano, tribueretur, tamquam eo scriptum consilio, quod nos ex ep. ipsa declaravimus.

Praeter hos omnes testis est locuples, isque Historicus fide dignissimus Eusebius, quem vidimus supra de Clemente accuratam habuisse notitiam, cuius certe episcopatum plene definivit, qui etiam ipse de n. ep. nonnulla certa nobis renuntiavit. Libri enim tertii *Historiae Ecclesiasticae* capite decimo sexto haec legimus: "Τούτου δὴ οὖν τοῦ Κλήμεντος ὁμολογουμένη μία ἐπιστολὴ Φέρεται, μεγάλη τε καὶ θαυμασία, ἣν ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τῇ Κορινθίων διετυπώσατο, στάσεως τινιαδὲ κατὰ τὴν Κορινθίου γενομένης. Ταύτην δὲ καὶ ἐν πλεισταις ἐκκλησίαις ἐπὶ τοῦ κοινοῦ δεδημοσιευμένην πάλαι τε καὶ καβ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν." Apparet igitur eum n. ep. cognovisse, et quidem praeiectam a primis inde temporibus publice in ecclesiis. Eodem loco pergit Eusebius: "Καὶ ὅτι γε κατὰ τὸν δηλόυμενον τὰ τῆς Κορινθίων κείνητο στάσεως, ἀξιόχρεως μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος." Hegesippus nempe n. ep. usus esse videtur secundum Eusebium, qui etiam libri IV capite 22 dicit, Hegesippum in ὑπομνήμασιν referre περὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῆς. Ecce igitur testimonium, quod nobis ab Eusebio traditur, certissimum. Verum in primis libri III capite 37 et 38 ep. n. mentionem fecit, ubi sic capite 37: ὥσπερ οὖν ἀμέλει τοῦ Ἰγνατίου ἐν αἷς κατελέξαμεν ἐπιστολαῖς, καὶ τοῦ Κλήμεντος ἐν τῇ ἀνωμολογημένῃ παρὰ πᾶσιν, ἣν ἐκ προσώπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τῇ Κορινθίων διετυπώσατο. Porro: "Περὶ τῆς Κλήμεντος καὶ τῶν ψευδῶς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένων capit is 38 est inscriptio, cuius argumentum: "Ιστέον δὲ ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολή. Οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προ-

τέρη καὶ ταῦτην γνώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μηδὲ καὶ τοὺς ἀρχαῖους αὐτῷ κεχρημένους ἴστμεν. Ἡδη δὲ καὶ ἔτερα πολυεπῆ καὶ μακρὰ συγγράμματα ὡς τοῦ αὐτοῦ ἔχθες καὶ πρώην τινες προήγαγον, Πέτρου δὴ καὶ Ἀπίωνος δικλόγους περιέχοντα· ὃν οὐδὲ δλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς Φέρεται. Οὔδε γὰρ καθηρὸν τῆς ἀποστολικῆς δρθοδοξίας ἀποσώζει τὸν χαρακτῆρα. Ἡ μὲν οὖν τοῦ Κλήμεντος διολογουμένη γραφὴ, πρόδηλος. Εἴρηται δὲ καὶ τὰ Ἰγνατίου καὶ Πολυκάρπου.” Hinc sine dubio videmus Eusebium jam discrimen fecisse inter ea, quae Clementi tribuebantur, scripta spuria atque n. ep. solam διολογουμένην. Alia ejus scripta Pseudonyma dicit neque a veteribus scriptoribus usurpata esse, neque Apostolicae aetatis characterem prae se ferre. Nostram vero epistolam capite 13 libri VI inter ἀντιλεγόμενα scripta Canonis memorat una cum ep. ad Hebraeos, Judae atque Barnabae epistolis: “Κέχρηται δὲ ἐν αὐτοῖς (Clemens Alexandrinus in *Stromatum* libris, de quibus caput illud agit) καὶ ταῖς ἀπὸ τῶν ἀντιλεγομένων γραφῶν μαρτυρίαις, τῆς τε λεγομένης Σολομῶντος σοφίας καὶ τῆς Ἰησοῦ τοῦ Σιρᾶ, καὶ τῆς πρὸς Ἐβραίους ἐπιστολῆς, τῆς τε Βαρνάβας καὶ Κλήμεντος καὶ Ἰούδα.” Tandem libri IV capite 23 n. ep. mentionem facit Eusebius ex epistola Dionysii Corinthiaci ad Romanam ecclesiam, unde patet ep. n. diebus dominicis publice in ecclesiis Corinthi praelegi solitam, atque Clementis scriptum haberi: Capitis enim ejus n° 8 sic legimus: “Ἐν αὐτῇ δὲ ταῦτη καὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους μέμνηται ἐπιστολῆς, δηλῶν ἀνέκαθεν ἐξ ἀρχαίου ἔθους ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας τὴν ἀνέγνωσιν αὐτῆς ποιεῖσθαι. Λέγει γοῦν τὴν σήμερον οὖν κυριακὴν ἀγίαν ἡμέραν διηγάγομεν, ἐν ᾧ ἀνέγνωμεν ὑμῶν τὴν

ἐπιστολὴν, ἣν ἔξομεν ἀεὶ ποτε ἀναγινώσκοντες νοοθετεῖσθαι, ὡς καὶ τὴν πρωτέραν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν.” Sic jam satis superque Eusebii, Historici sane fide dignissimi¹⁾, de n. ep. sententia nobis apparuit, quippe qui eam ut vidimus permagni faciat (*μεγάλην καὶ θαυμασίαν* eam vocat capite 16 libri III) atque ecclesiasticam ejus auctoritatem validis affirmet testimoniis. En argumenta externa maxime memorabilia, quae pro ep. authentia ex veteris ecclesiae obscuritate supersunt. Sed, eheu! per saeculorum multorum intervallum obscurata paullatim est epistolae memoria, de qua altum est silentium apud Patres ecclesiae. Interierat scilicet ejus notitia, vel saltem, quamvis nomine cognita recentioribus scriptoribus, eorum in manibus versata non est usque ad saeculum septimum decimum medium fere. Sed eam ex antiquis tum cognoscebant, sicut Robertus Bellarminus e. g. in libro de *Scriptoribus ecclesiasticis*, Col. Agripp. ed. a° 1613, de Romano Clemente n° 92 scribit: “Ep. prior ad Corinthios non exstat, ejus tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, ut epistolae gravissimae et epistolae S. Pauli ad Hebreos perquam simillimae.” Tandem anno 1632 ab oblivione tali erepta est, a qua vindicata erat Theclae mulieris Aegyptiacae opera, ut nobis tradit in praefatione Cotelerius editioni Patrum Apostolicorum praemissa pag. 132, ubi sic: “Cyrillus, hodie qui Constantinopoli Patriarchatum obtinet,

1) De Eusebii tamquam historici *ἀξιοποιητικῶν* vidd. e. g. Rienstra, Ultraj. 1838. Kestner, Gött. 1819, et Reuterdahl, Gött. 1826. Ipsos Eusebius fontes affert, ex quibus historias suas petiit plurimis locis. Cum Herodoto eum comparavit Bauerus, Tüb. 1834.

„vir pietate et eruditione insignis, ex Aegypto cum
„sedem Alexandrinam relinqueret, magnam librorum sup-
„pellectilem secum duxit, inter quos codicem omnium
„vetustissimum et longe pretiosissimum (in quo Veteris
„et Novi Foederis libri literis grandioribus manu The-
„clae, nobilis feminae Aegyptiae, circa primi concilii
„Nicaeni tempora bellissime exarati sunt) per ornatis-
„simum et clarissimum Virum, Dominum Thomam
„Roë, equitem auratum et apud Turcarum Impp. Sere-
„nissimi Regis nostri Oratorem, cum ex Oriente redi-
„ret, dono ad Serenissimum Regem nostrum transmisit.
„Ad calcem venerandi hujus codicis et κειμηλίου τιμαλ-
„Φεστάτου in membranis laceris adjecta erat Clementis
„ad Corinthios Epistola eadem manu scripta, quam nunc
„bono publico et tuo usui in lucem damus, nihil de-
„mentes vel de nostro addentes, non syllabam, non lit-
„teram, non apicem aut iota unum, fidelissime quantum
„potuit fieri expressimus, voces deperditas et literas
„exesas vetustate accurate supplevimus” et caetera vid. l.l.

Sic igitur, quam accurate in ep. editione versatus
esset, declaravit. Tum pergit ita: „Stylus auctoris
„et scribendi genus primaevam simplicitatem sapit et
„tenera adhuc nascentis Ecclesiae incunabula, quibus
„veteres Patres et Ecclesiae primi nutritii nihil excelsum
„aut elatum nec ad audientiae popularis illecebras culto
„sermone fucatum, in medium proferebant; sed ad divi-
„nam indulgentiam praedicandam et gratiam ac salutem
„auditori procurandam (ut Cyprianus ad Donatum)
„verbis non disertis, sed fortibus, et rudi veritate sim-
„plicibus utebantur etc.” Haec tamen Bibliothecarii
regii editio multis laborabat vitiis. Quare Wottonus

emendatam et suppletam ep. n. denuo edidit a° 1718. Quam postea Gallandius, Jacobsonius aliique multi annotationibus ornatam typis mandaverunt.

Jam quaeritur utrum haec ep. quam nunc, sicuti diximus, repertam habemus, eadem illa sit Clementina, de qua Patres Ecclesiae testantur. Jam per se patet ep. n. sine dubio vetustissimae saltem Ecclesiae monumentum venerabile esse, quippe quam circa annum 325 scriptus Codex Alexandrinus contineat. Atque ex testimoniosis allatis supra satis superque patet eandem esse n. ep. atque eam, quae ab illis indicatur. Nam et n. ep. praebet se scriptam a Romana ecclesia ad Corinthiacam, opportunitate litium ibi ortarum idque definito pacem ibi restituendi consilio, stylo simplici, ep. ad Hebreos orationi simillimo¹⁾. Sed praeterea in ea dicta invenimus, quae ipsissima accurate citarunt Patres. Quae res omnem tollit de ep. authentia dubitationem; quae tamen in dubium est vocata a nonnullis. De quibus nunc videamus. Ex antiquioribus Tolandus, Salig et Voetius praesertim ep. n. authentiam negarunt. De his vero jam egit Hefele, l. l. pag. XXVI, ubi igitur videatur n°. III. Sed hos praeterimus ut ad ultimum ep. n. adversarium oculos advertamus. Nuperrime enim

1) Vid. e. c. Eusebii *Historiae Ecclesiasticae* libri III cap. 37: «Ἐν ᾧ (τῇ Κλ. πρὸς Κορ.) τῆς πρὸς Ἐβραιούς πολλὰ νοήματα παραθεῖσι, ἡδὲ δὲ καὶ αὐτολεξεῖ ρητοῖς τοιν ἐξ αὐτῆς χρησάμενος, συρέστατα παριστησον ὅτι μὴ νέῳ ὑπάρχει τὸ σύγγραμμα. "Οθίν εἰκότως ἔδοξεν, αὐτὸ τοῖς λοιποῖς ἐγκαταλεχθῆναι γράμματι τοῦ ἀποστόλου. Ἐβραιοῖς γάρ διὰ τῆς πατρίου γλώσσης ἐγγράφως ὄμιληκότος τοῦ Παύλου, οἱ μὲν τὸν εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν, οἱ δὲ τὸν Κλήμεντα τοῦτον αὐτὸν ἐρμηνεῦσαι λέγουσι τὴν γραφήν. "Ο καὶ μᾶλλον ἀν εἴη ἀληθές. τῷ τὸν ὄμοιον τῆς φράσεως χαρακτῆρα τὴν τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολὴν καὶ τὴν πρὸς Ἐβραιούς ἀποσάζειν, καὶ τῷ μὴ πόρρω τὸ ἐκατέροις τοῖς συγγράμμασι νοήματα καθεστῶναι.

Schweglerus in opere jam saepius laudato: „*das Nach-Apostolische Zeitalter*” ejus authentiam impugnat. Cujus tamen ceteris omnibus interpretibus infirma videntur argumenta, vidd. Hefele, Ritschl, atque in primis Lechler locis laudatis. Sic quidem disputat Schweglerus: „Ep. n. vulgo habetur Clementis „Romani scriptum; sed hujus ipsius viri nomen dubitationes excitat historicas, nam multa scripta, quae fere „iisdem Patrum testimoniis commendantur, ei supposita sunt. Quare argumenta debent esse gravia, quae ejus „authentiam tueantur. Verum e contrario ex ipsa ep. ejus „apparet spuria indoles.” Quae porro sequuntur partim jam in capite de ep. scriptae tempore, partim in capite de dogmatica ep. indole, partim de integritate et persona auctoris agentes refutavimus, quippe falsa hypothesi intentia, nec in ep. accurata explicatione fundata. De his autem praesertim egit Ritschl l. l. pag. 284 seq., qui et diversa Schwegleri argumenta refutavit; vid. Lechlerus quoque l. l. pag. 309 n. 2, ubi V. D. dubitationum partem diluit. Neque sunt magni momenti quae Schweglerus universe dicit l. l. Nam personam Clementis mythicam esse falso contendit; multo magis constat eum Romanum episcopum fuisse, de cuius quidem tempore Patrum dissentient testimonia. Cujus vero episcopatus ad saeculi primi finem referri posse videtur, vide caput de auctoris ep. n. persona¹⁾. Sed quidquid hac de re statuatur, nihil certe est, quod ep. n. temporis

1) Si ve persona auctoris in dubium vocanda esset, tamen ep. authentica esse posset ita, ut ejusdem temporis esset cui vulgo tribuitur; veluti Hilg. pag. 99 in fine censuit.

posterioris foetum esse habendum doceat, quum interna ejus indoles et externa argumenta ad eam primo saeculo tribuendam nos impellant. Et quod ad scripta attinet ejus nomini supposita, nonne fieri potest ut auctori clarissimo quaedam spuria tribuantur ad pretium eorum augendum ac valorem¹⁾? Tum etiam ep. n., quod ad indolem et stylum et in primis ad unitatem consilii, toto coelo differt a Pseudo-Clementinis. Idcirco pseudonyma illa non impediunt, quominus n. ep. authentia constet, quae argumentis diversi generis probari potest gravissimis. Quare Schwegleri objectionibus supra jam refutatis nunc etiam internas quasdam notas opponamus. Praeter omnia quae jam attulimus de dogmatico charactere, de S. C. usu in ep., item de temporis indiciis primum sane saeculum redolentibus, alia quaedam adsunt argumenta interna, maxime negativa. Nihil enim in ea invenitur, quod temporis vel loci illius rationibus, nihil quod apostolicae aetatis linguae vulgari, simplici, populari repugnet. Jam supra vidimus Patricium Junium sic etiam de ea judicasse. Tum Wottonius in Praefatione ad ep. n. editionem sic scripsit: "In ea non vivolatur temporis ratio; nihil contra (primaevam) ecclesiae disciplinam instituitur; nihil contra doctrinam christianam praecipitur; stylus ac dicendi methodus proxime accedunt ad Novum Testamentum, neque aliquid, quod non est maxime viro Apostolico dignum, in ea reperi-

1) V. D. Bunsen in opere: "Ignatius und seine Zeit" sic inde concludit Schweglerum ad absurdum ducens: "Weil es Pseudoisidorische, Pseudoplatonische, Pseudovirgilische Schriften gibt, so müssen wir alles, was den Namen des Isidor, Plato und Virgil trägt, für unächt halten." Atque sic foret omnino logica ejus sententiae consequentia.

“tur.” Haec ille. Nec sane in ea ullum Platonismi vestigium, qui proxima aetate ecclesiam vehementer turbavit. Nulla philosophiae vis in ea, sed practica vis permagna ad vitae commendandam pietatem. Reminiscentia ubivis Apostolicarum dictionum et effatorum, quae minime Apostolorum lectorem, sed auditorem potius produnt, in cujus auribus adhuc resonat eorum Evangelica praedicatio, sicut jam Irenaeus ἐν αὐτοῦ τὸ κήρυγμα eum vocavit. Jam in capite de S. S. usu V. T. typologicam nonnumquam explicationem ejusque in primis cultam auctoritatem attigimus. Ep. n. in lectoribus spiritum excitare potest amoris, pietatis verae, benignitatis, animi modestiae, lenitatis, temperantiae; nonne omnia haec Apostolici scripti indicia? Sic positiva quoque argumenta ex scribendi genere duci, nec secus quam negativa multis augeri possunt. Sed jam luce clariores temporis notas referre ep. constitit. Quare cum Hungone Grotio libenter de ea dicimus haec, quae in epistola sua responsoria Vir ille praeclarus ad Bignonium¹⁾ sic eleganter enuntiavit:

“Epistolam legi relegique aliquoties quantum potui omnibus viribus expensis, et aliter existimare non potui, quin haec sit eadem (epistola) quam legit Photius, cuius tempore cum exstiterit, non mirum est, si ad nostra tempora in sanctioribus libris servata fuerit. Neque vero causae quidquam video, cur aut illa quam Photius legit non eadem sit cum ea quam Hiero-

1) Qui dubia quaedam contra ep. n. authentiam attulerat, quae tamen post Grotii responsum sustulit fere omnia, vid. omnino Cotelerii Patrum Apostolicorum editio, pag. 134.

"nymus et ante eum Clemens Alexandrinus pro-
"piusque Clementis Romani tempora Irenaeus ha-
"buerunt; aut cur illi alias dandus sit scriptor quam is
"ipse Clemens Romanus, quod tanto consensu ab
"omnibus proditum est. Non loca tantum omnia, quae
"ab antiquis adducuntur hic apparent, sed et res ipsae,
"quas observat Photius, et quod maximum character
"Hieronymo dictus ad illum qui est in epistola ad
"Hebraeos accedere. Cujus causa non alia est, quam
"quod hic Clemens, ut et Lucas et quisquis ille est
"scriptor ad Hebraeos epistolae, antequam Christiani
"fierent, Graecum sermonem ex eruditis auctoribus hau-
"serant, cuius nitor, ubi non aliena dicta aut ex Sacris
"literis depromta verba suis inserunt, sed liberiori di-
"ctione utuntur, facile cognoscitur. Hinc illae voces
"μεγαλοπρεπὲς, ἀπροσωπολήπτως, φίψοινδύνους, αὐτεπαι-
"νετος, ἐργοπαρεκτης, ἀξιαγάπητος, μωμοσκοπεῖσθαι, ἐτε-
"ροκλινὲς, ἐτερογνόμων et quo Lucas utitur ἀντοφθαλμεῖν
"aliamque similia. Et ipse sermo non ut ἐβραΐζουσιν in
"minutias concisus sed largius fluens. Nam et lectum
"ab illo Euripidem et Sophoclem ostendunt sen-
"tentiae ex illius *Phoenissis*, hujus *Ajace* translatae.
"Accedunt indicia non simulatae vetustatis; quod de
"Christo semper loquitur, non ut posteriores πλατω-
"νικώτερον, sed simpliciter plane, et ut Apostolus Pau-
"lus solet. Alia quoque dogmata postea subtilius ex-
"plicata tractat ἀφελέστερον et vocibus κλήσεως, κλητῶν,
"ἐκλεκτῶν sensu plane Paulino utitur etc. Quod nus-
"quam meminit exsortis illius Episcoporum auctoritatis,
"quae Ecclesiae consuetudine post Marci mortem Ale-
"xandriae, atque eo exemplo alibi introduci coepit,

"sed plane ut Apostolus Paulus ostendit, Ecclesias
"communi Presbyterorum qui iidem omnes et Episcopi
"ipsi Paulo dicuntur consilio fuisse gubernatas. Nam
"quod ἀρχιερέα, λευίτας, λαικοὺς nominat, omnia ista
"nomina non ad Ecclesiam, sed ad templum Hierosoly-
"miticum pertinent etc."

His igitur, quae Grotius attulit, cum illis collatis,
quae nos supra prodidimus, eo praeeunte sine ullo dubio
declaramus: "Epistolam non modo ob has causas genui-
nam arbitror, sed et nulla in ea manus adulterae vesti-
gia agnosco." Tandem videamus de Hilg. opinione,
qui, pag. 99 l. l. infra, dubitandum censet, utrum Cle-
mentis ipsius sit ep., cuius nominis ne ullam quidem
mentionem faciat scriptum, an potius principis cujus-
dam viri in Ecclesia Romana in fine saeculi primi vi-
ventis. Sed primo loco oblitus est V. D., quamvis ep.
in Codice manuscripto supra memorato inscriptione ca-
reat, praeter epigraphen ΚΟΠΙΝΘΙΟΤΣ A, tamen catalogum
codici praefixum secundam, quae dicebatur, Cle-
mentis ep. ad Corinthios his literis signasse: εντος
ἐ.....λη B, quod sine ullo dubio supplendum est: Κλή-
μεντος ἐπιστολὴ B. Porro quum priorem illam epistolam
in tergo Codicis antiquissimi inventam esse constet,
certo certius eandem illam esse atque eam, de qua tot
Patres Ecclesiae testimonium ediderunt, ex horum una-
nimi consensione efficere licet, ac jure eam Clementi
tributam esse. Alioqui enim ea opinio tam generalis illis
saeculis non facile existere potuisset. Et quid impedit,
quo minus Clementis sit? Jam in capite de persona
Clementis et de dogm. ep. indole neque Paulinismum
ep. n. (quem aiunt VV. DD.) neque Petrinam de

Clemente fabulam authentiae nocere posse monuimus. De Photii in ep. n. opprobriis jam partim vidimus de mundis trans Oceanum et Phoenicis fabulae usu vidd. quae diximus, ep. argumentum exponentes. Et quod attinet ad Christi Divinitatem in ep. n. non propositam, si Clemens illud dogma tanta metaphysica subtilitate exposuisset, quâ fecerunt posteriores, contra authentiam hoc esset argumentum. Et quae Augusti in opere „*Dogmengeschichte*” pag. 26 n° 4 dicit, Photium ep. n. auctoritatem negasse, quia nihil definiti de Jesu persona contineat, haec errorem habent, quia in illo *Codice Bibl.* 261 legimus: ἡ δὲ λεγομένη δευτέρα, de qua igitur loquutus est Photius. Tandem quod ad integritatem aequa atque authentiam ep. n. attinet, ob dogmata in ea non inventa quidam (Bernardus, Mosheimius, Neander) ep. repudiaverunt, sed nullo jure ita concludere licet; nam talibus nitentes argumentis omnia, quae nobis dispicent, scripta spuria vel interpolata declarare possemus. Quare nos Baumgartenio-Crusio in opere: *Compendium der Christlichen Dogmengeschichte*, tom. I pag. 80 assentimur, declaranti: Am „Clemens von Rom erstem Briefe an die Corinther „haben wir kaum ein Recht zu zweiflen.” Cui consentit nuperrime V. D. Reuss, in opere: *die Geschichte der H. Schriften N. T.* ed. 2 § 235, ubi sic: „Die „Echtheit der Epistel welche die Alten öfters anführen, „ist von der neuern Kritik zwar beanstandet worden, „aber doch nicht aus zwingenden Gründen.” Brevi ut dicam, n. ep., quae hâc parte cum Ciceronis scripto *de Republica* ab Angelo Maji reperto, comparari potest, aequa certis testimoniis externis, quam lin-

guae internis argumentis commendatur; quare igitur illud ut authenticum ab omnibus agnatum est; contra ep. n. a nonnullis in dubium vocata est? Caussa est quod haec neque historiae hypothetice constructae favet, neque dogmatismo pusillanimo, neque hierarchiae, quae mature jam succrevit.

III



I

Chionostola Pomerani oblatione ac coram

II

Ille inde de ratione pietatis libet ac nullus
ad eiusdem ratione, si non condonat. Quod autem p. et

III

IV

V

autem amissio ipsius haec multo minus debet, et
ad eiusdem ratione, si non condonat. Quod autem p. et

THESES.

I.

Clementis Romani epistola prior ad Corinthios germana est.

II.

Consilium ea prodit mere practicum; est enim ad litteres, in ecclesia Corinthiaca ortas, pacandas scripta.

III.

Scripta ea est anno circiter 90 p. C. n.

IV.

Eius argumentum dogmaticum est simplicissimum, plane igitur primo saeculo conveniens.

V.

Ex libris S. C. Canonicis ep. ad Hebreos tantummodo atque Pauli priorem ad Corinthios plene cognitas habuit Clemens.

VI.

Clemens Romanus tertius Romanae ecclesiae episcopus fuit, idque ab aº 93 usque ad aº 101.

VII.

Ex crebro V. T. in epistola nostra usu, summam ei auctoritatem tribuisse Clementem, constat.

VIII.

Epistola memorata plane integra est.

IX.

Clementem epistolam ad Hebreos non scripsisse, probari haud potest.

X.

Analogia fidei utilissime ad ejusdem auctoris eodem in scripto dicta explicanda adhibetur.

XI.

Dogma de Canone Protestantismi principiis repugnat, si disquisitioni historicae justo arctiores terminos statuat.

XII.

Miraculis superstrui fides religiosa non debet.

XIII.

C. S. nobis tantummodo religionem revelat.

XIV.

Conjectura V. D. Holwerda in opere: "De betrekking van het verstand tot het uitleggen van den Bijbel," pag. 53, quae Lucae cap. XIV vs. 5 lectionem *vīō̄s* in *oī̄s* mutat, non uno nomine laudanda est.

XV.

Praeclare Calvinus in *Institutionis libri I* capite VII sic: "Idem ergo Spiritus, qui per os Prophetarum loquutus est, in corda nostra penetret necesse est, ut persuadeat, fideliter protulisse, quod divinitus erat mandatum."

XVI.

Acu rem tetigit Scholten, Vir. Clar., *Leer der Herormde Kerk*, ed. 2, Deel II, pag. 304: "Niet te zijn, wat men als zedelijk wezen naar aanleg zijn kan, en overeenkomstig zijne bestemming zijn moet, dat is het karakter der zonde."

XVII.

Optime Karl Hase, Vir Clar., *Evangelische Dogmatik*, ed. 4 pag. 39: "Religion und Seligkeit verhalten sich nicht wie Grund und Folge, sondern sie sind wesentlich eins."

XVIII.

Pulcre dixit Alexandre Vinet, *Homiletique* pag.

298: "Ce n'est pas nous au fond, qui sommes éloquentes,
"c'est la vérité; être éloquent, ce n'est pas ajouter quel-
"que chose à la vérité, c'est lui rendre ce qui lui ap-
"partient, la mettre en possession de tous ses avantages
"naturels, c'est faire tomber les voiles qui la couvrent,
"c'est ne plus rien laisser entre l'homme et la vérité."

XIX.

Neque in Critica, neque in Exegesi tantum juris fidei
tribuendum est, ut sanae Critices atque Hermeneutices
leges negligantur.

XX.

Hodiernam ecclesiam Reformatam arcta definita do-
ctrina gaudere, sine Realismo statuere non possumus.
